INDEX ERRORVM

Gregorii de Valentia

Monachi blasphemæ Societatis.

EX EO LIBRO QVEM inscripsit, Examen præcipui Mysterij Doctrinæ Caluinistarum, &c.

Confectus à nonnullis Theologiæ & Philosophiæ Candidatis in Schola Geneuensi.

ERRORES SVNT NVMERO Sexaginta qui crassiores visi sunt, ac proinde Transsubstantiatione digniores.

Excudebat Ioannes Le Preux.

cIↃ IↃ x c.

Gregorii de Valentia Monachi blasphemæ Societatis.

EX EO LIBRO QVEM

inscripsit, Examen præcipui Mysterij Doctrinæ Caluinistarum, &c.

Confectus à nonnullis Theologiæ & Philosophiæ Candidatis in Schola Geneuensi.

ERRORES SVNT NVMERO

Sexaginta, qui crassiores visi sunt, ac proinde Transubstantiatione digniores.

Excudebat Ioannes Le Preux.

CIↃ IↃ X C.

CHRISTIANO LECTORI S.

Delatus est ad nos liber Gregorij de Valentia quem ita inscripsit: Examen & Refutatio præcipui mysterij Doctrinæ Caluinistarum de Re Eucharistica; cum responsione ad Obiectiones Antonij Sadeelis, &c. *Cùm autem Antonius Sadeel proponeret Secundam Editionem utriusque Tractatus quem ante annum edidit, tum de Spirituali tum de Sacramentali manducatione Corporis Christi (ut ea refutaret quæ post primam Editionem à Pontificiis proposita sunt, ad confirmandos*

errores de Transsubstantiatione) non inutile futurum nobis visum est, si collatis vtrinque argumentis, conficeremus Indicem errorum quos Monachus admisit in suo illo Examine, quod maiori ex parte ad Sadeelem reprehendendum adhibuit: vt inde appareat, eos qui tantum sibi sumunt, vt pro arbitrio, aliorum scripta examinent, vicissim esse ab alijs examinandos. Hut nos etiã impulit istius Monachi impudentia, qui Ioannem Caluinum felicissimæ memoriæ, & Theodorum Bezam, viros celeberrimos & præstantissimos, qui doctissimis Scriptis non tantum hanc Scholam sed ipsam etiã posteritatem sibi deuinxerunt: non veritus est conuitijs & maledictis insectari. Itaque existimauimus nostras esse partes tantam huius Monachi impudentiã, atque inscitiam ante omnium oculos proponere. Quineriam conqueritur quòd non

fuerit

fuerit à Sadeele nominatus tum quum ipsius argumenta refutaret (Testatus est enim Sadeel in suis Theologicis & Scholasticis Tractationibus velle se de re ipsa agere, omissis personis) Fiat igitur illi hac in parte quodammodo satisfaciendum, vt saltem à nobis in hoc nostro Indice nominaretur. Cur enim Sadeel in Gregorium de Valentia certum librum ederet, qui superiora aliorū Monachorum argumenta tantum interpolauit? nisi forte excipias nouū illud Gregorij argumentum, petitum ex falsa hypothesi, vt probet Transsubstantiatione: nempe, Si Deus non mundum sed vnum lapidem tantùm creauisset: quod quidem adeò est ridiculum, vt videri debeat Sadeel præclarè de Monacho meritus, qui eum non nominarit. Sed age, quandoquidem tantopere cupit nominari, atque etiā flagitat: Ecce, tibi Christiane Lector, of-

ferimus Indicem Errorum Gregorij de Valentia, Monachi blasphemæ Societatis, *Doctoris Ingolstadiensis, quos ex illius libro iam à nobis commemorato collegimus : non omnes quidem, sed crassiores, vt ex unguibus Leonem illum possis facilè cognoscere. Quamuis autem breues aliquot refutationes adiunxerimus, tamen à te petimus, vt copiosiorem errorũ illorum refutationem videas in Doctorum nostrorum scriptis, qui hoc argumentum accuratè tractarunt. Nobis enim imprimis propositum fuit, errores istius Monachi indicare. Quanquam (vt aliquis dixit) crassos eiusmodi errores indicare, refutare est. Benè vale. Genevæ Calend. April. M. D. XC.*

INDEX

INDEX ERRORVM GREGORII DE VALENTIA Monachi blasphemi Societatis.

PRIMVS ERROR.

GREGORIVS à Valentia Monachus nouæ & blasphemæ societatis quæ sacro nomine Iesu abutitur ad inscriptionem suæ sectæ, etrat grauissimè, quum eam doctrinam quæ expressis Sacræ scripturæ testimoniis nititur, vocat *Mysterium doctrinæ Caluinistarum*: Nam Caluinus & omnes Orthodoxi qui singulari Dei misericordia ab erroribus Ecclesiæ Romanæ discesserunt, nequaquam in doctrina S. Cœnæ aliud mysterium proposuerunt quam illud ipsum quod scriptis Euangelistarum & Apostolorum continetur, & nominatim 6. cap. Iohannis, de arctissima Christi nobiscum coniunctione, quæ fit per fidem efficacia Spiritus S. quam cõiunctionem Paulus appellat mysterium his verbis, τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν; ἐγὼ δὲ λέγω εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν; In Tit. libri Monachi.

Ephes. 5. Quare id quod Monachus dicit esse *operimentum turpitudinis Caluinianæ*, & similia conuitia sunt mera mendacia & meræ calumniæ, quæ in eius caput redundabunt, quia veritas victrix semper triumphum aget de mendacio.

Pag. 1. & 2. Perperam loquitur Monachus quum dicit nostros doctores *loqui similia Orthodoxis, sed dißimilia sentire, quemadmodum ait Irenæus de Veterib. Hæreticis.* Nec enim Pōtificij sunt Orthodoxi, nec nostri doctores, Hæretici. Citat autem quod dicit A. Sadeel, Christū nobis dari & offerri Cœnæ mysterio celebrando, vbi ad ipsam prædicationem Euangelij ipsa symbola accedunt, atque id clarissimè patere ex ipsis Christi verbis: Accipite, comedite, &c. Quæ quidem nullius momenti fuerint si Christus à credentibus accipi non possit. Ex quibus verbis Monachus vult ostendere *Sadeelem cōsentire cum Pontificiis*. Sed loquitur Sadeel de manducatione Corporis Christi quæ fit spiritualiter & per fidem. Pontificij verò dicunt ipsum Corpus *Christi* manducari Oraliter. Cæterum Sadeel suam sententiam explicauit his verbis, Spiritualiter, inquit, per fidem, efficacitate S. Spiritus in animis nostris supra omnem naturam operantis.

Quæ verba Monachus, data opera, silentio præteriit, vt haberet aliquod operimentum

suæ

ſuæ turpitudinis. Quum igitur excerpuntur verba quædam mutilata, loco integræ ſententiæ, calumniari eſt, non autem alicuius ſententiam recitare.

III.

Monachus eadem impudentia & calumnia vtitur, quum obiicit Sadeeli, *ipſum loqui cum Pontificiis*, eò quòd ita dixerit: Si ſolus panis datur in Cœna Domini, non eſt igitur Sacramentum, quippe quum in Sacramento duo ſint, videlicet ſignum & res ſignificata. Hæc ille: putat autem Monachus: *Eſſe in Sacramẽto*, idem eſſe ac, *Deliteſcere ſub accidentibus panis & vini*: quod tamen ſic etiam eſſet *ἀνύσιον*. Semper enim quæreretur, vbinã eſſet ſignum. Iam hoc non poteſt dici, ſignum eſſe ſub ſigno. Sadeel autem in illo loco ſumit *Sacramentum* pro ipſo Domini Inſtituto & pro S. Dominicã Cœna quæ dicitur à veteribus Græcis *μυστήριον*, à Latinis Sacramentum. Illic etiam exponit Sadeel quomodo Chriſtus ſit in Sacramẽto, nempe quia percipitur à credentibus, Cœnam Domini ex ipſius inſtituto celebrãtibus: percipitur (inquam) ſpiritualiter per fidem efficacitate Spiritus S. adeò vt præſentia Chriſti non debeat conſtitui ſub accidentibus panis & vini (vt Monachi docent in ſua Tranſubſtantiatione) ſed in animis noſtris. Hæc illius ſunt verba Sadeelis. Hæc verba, Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem

Pag. 2. & 3.

in me manet & ego in eo, necessariò ipsius Christi nobiscum præsentiam inferunt: & paulò pòst: Quia in hac quæstione præsentiam ex coniunctione metimur, ea proculdubio est ratio præsentiæ quæ est ratio coniunctionis. Si quis igitur quærat ex nobis: quomodo Corpus Christi nobiscum arctissimè coniungatur, hoc responsum auferet: coniungi spiritualiter, quia id fit per fidem & efficacia Spiritus S. Hæc Sadeel. Quòd si sic loquerentur Pontificij, non tot errores & turbas in Christianum Orbem inuexissent. Quare Monachus pro tot suis mendaciis substituat hanc vnam veritatem, vt dicat, Sadeelem ὀρθοδόξως, Pontificios autem ἑτεροδόξως loqui.

LITERA I.

Pag. 2. & 3. Quod Doctores nostri dicunt Christum in Cœna Domini verè percipi spiritualiter ore fidei, non corporaliter ore corporis, cùm sit cibus mentis non ventris, reprehenditur à Monacho Valentino qui illudens ait hoc esse *altissimam Caluinisticæ doctrinæ mysterium: quasi verò*, inquit, *non possit instrumento etiam corporis id percipi quod ad salutem animæ imprimis percipitur?* & citat ex Tertulliano, de Resurr. carn. Caro abluitur vt anima emaculetur, Caro corpore & sanguine Christi vescitur vt anima de Deo saginetur, inquit Tertullianus, quem Monachus summa iniuria afficit, quòd eum velit socium sui erroris sibi adiungere. Nam Tertullianus

tullianus vocat signum corporis, corpus: & signum sanguinis, sanguinem Christi: forma loquendi in Sacramẽtis vsitata, quemadmodum nostri Doctores ita manifestè demonstrarunt vt omnes tenebræ Monachales non possint hanc lucem obscurare. Ecce enim quod idem Tertullianus alibi dicit: Christus acceptum panem & distributũ Discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum, dicendo: id est, figura Corporis mei: Aduers. Marc. lib. 4. Quinetiam eo in loco quem Monachus obiecit, quum similiter loquatur Tertullianus de Baptismo & de Cœna, sequitur, vt quẽadmodum in Baptismo caro abluitur aqua, quæ est signum sanguinis: nõ autem abluitur ipso sanguine Christi, quo quidem anima abluitur: ita etiam dicendum sit, Carnẽ nostram percipere sacra signa Corporis & sanguinis Christi, vt anima à Iesu Christo vero Deo & vero homine sustentetur. Addit etiam Tertullianus: Caro manus impositione adumbratur, vt & anima Spiritu illuminetur, inquit: Scita & lepida oppositione suam sententiam aperiens, ne confundat signum cum re significata. Vult autem dicere Tertullianus, fore vt corpus sacris signis q. obsignatum & cõsecratum Deo resurgat ad vitam æternam. Inepte autem argumẽtatur Monachus quum dicit, Instrumento etiã corporis id posse percipi quod percipitur ad salutem animæ, ac ideo Corpus Christi posse

esse cibum corporis. Quanquam enim aqua Baptismi inseruit lauacro animæ, vi instituti, quia est signum & sigillum sanguinis Christi, quo Spiritus S. abluit animas nostras: tamen si velit inde concludere aquam Baptismi abluere animam, Petrus ei contradicet. Sic enim ait: Nos seruat Baptisma, non carnis depositio sordium &c. 1. Pet. 3. Quapropter Valentinus Monachus nõdum didicit distinguere τὸ σακραμεντον à causa efficiente: quo fit, vt ambiguè loquatur quum dicit ad salutem animæ percipi. Quid? prædicatio Euangelij exterior nonne aurib. percipitur ad salutem animæ? & tamen sonus sensibilis non est id quod seruat animam: non oportet igitur rerum naturas confundere. Semper enim quæremus, An verum & essentiale corpus Christi sit secundùm se (vt loquuntur) cibus mentis & cibus ventris. Constat autem ex aliis eius erroribus ipsum existimare, Christũ accipi secundùm se oraliter: nõ spiritualiter & animo: sed tãtum secundùm donum gratiæ. Quare hoc tergiuersari est non respondere, & satis ostendit Monachus se nondum intelligere quid sit mysterium, quod ille per ludibrium vocat altissimum nempe repens humi & totus occupatus in Accidentibus sine subiecto, quod vnum mysterium in Cœna Domini scrutatur.

Pag. 4. Quum vellet Monachus Methodum Sadeelis imitari, conatus est nostrarum Ecclesiarum sententiam proponere, vt eam conferret cum

Pon

Pontificiorum sententia. Sic igitur nostram exprimit. *Licet σωματικῶς & οὐσιωδῶς Corpus & sanguis Christi sint tantùm in cœlo, non autem vel cum pane & vino, vel sub speciebus panis & vini in Eucharistiæ Sacramento: tamen duplici modo in Eucharistiæ Sacramento verè percipi, spiritualiter & sacramentaliter.* Tum subiicit: *Sacramentaliter percipitur non ipsum corpus & sanguis, sed illorum signa.* Vnde apparet quàm bona fide nostram sententiam recitarit: videremur enim dicere, Corpus Christi quod est σωματικῶς & οὐσιωδῶς in cœlo, verè percipi in Cœna D. Sacramentaliter, eò quòd percipitur non corpus sed signum: quum nos dicamus veram perceptionem ipsius Corporis Christi fieri tantùm fide & efficacia Spiritus sancti. Sententiam verò Pontificiorum ambiguis vocabulis proponit. Nam agens de Sacramentali manducatione: *Manducatur*, inquit, *sacramentaliter: non solùm quia signum ipsius in cœlo existentis ore corporis manducatur, sed quia ipse quoque substantialiter præsens in Sacramento, tametsi modo inuisibili & admirabili verè percipitur ore corporis: non quidem ad naturale nutrimentum corporis, sed ad spirituale alimentum animarum. Sicut Baptismus etiam corpore suscipitur, nō ad naturalem corporis generationem, sed ad animarum regenerationem spiritualem. Manducatione autem spirituali sumitur idem Christus θεάνθρωπος in Eucharistia, quatenus ab eodem etiam non ab-*

sente sed substantialiter præsente gratiam & alimentum spirituale percipit animus eius qui conscientia pura & fide non ficta dignè ipsum in Sacramento manducauit. Hæc monachus Valentinus: cuius verba propè omnia sunt ambigua. Primùm non dicit quodnam sit signum ipsius in cælo existentis: deinde ait, In cælo existentis, & tacet id quod credit, nempe potiùs ipsum sub solis accidentibus delitescere. Præterea quum loquutus sit de corpore Christi, non repetit illud vocabulum: sed *ipse quoque substantialiter præsens*, inquit. Porrò libentius dicit, *percipitur ore corporis*, quàm *manducatur*. Et tamen Christus dixit. Accipite & manducate. Manducare autem, non solùm est ore percipere, sed etiam dentibus conterere & comminuere, atque in ventriculum demittere. In quo mo nachi valde hæsitant. Nam nesciunt qua ratione id ad Corpus Christi referat. Testis est Palinodia Berengarij, qua de re in suis scriptis nostri doctores copiosè disseruerunt. Quin & monachus nihil respondet ad ea quæ Sadeel hac de re in tractatu de Manducatione Sacramenti scripsit. Addit præterea, *percipi ore corporis ad alimentum animæ.* Id quod suprà à nobis observatum & sæpe à Sadeele confutatum est, ac demonstratum, ore corporis id percipi, quod nutrit corpus: & vicissim, Ore animi id percipi, quod nutrit animum: nō autem ἀντιστρόφως, vt monachus vult. Nam oporteret cibum corpora-

poralem percipi animo, vt aleret corpus, si dicamus, Cibum spiritualem percipiendum esse corpore ad nutriendum animum, Peccat igitur in ratione Relatorũ. Nam qua ratione nutrit, ea ratione dicitur cibus. Itaq; si Corpus Christi nutrit animum & non corpus, vt monachus agnoscit: Ergo est cibus animi non corporis: & quia manducatio ad cibum pertinet, concludimus, non esse manducationem corporalem, & propterea non oralem. Subiicit postea exemplum Baptismi ad suam sententiam confirmandam. Vbi etiam occurrit ambiguitas in his verbis, *Corpore percipitur*. Nam hoc quidẽ verum est, ratione elementi, i. aquæ, sed aqua sola non est Baptismus: quare Baptismus & corpore percipitur, & animo: quemadmodum Petrus hac de re disserens mentionẽ facit συνειδήσεως ἀγαθῆς conscientiæ bonæ erga Deum. 1. Pet. 3. Amplius: agens de manducatione spirituali, dicit *Christum διαφόρως in Eucharistia sumi quatenus animus ab ipso in Eucharistia præsente gratiam percipit & spirituale alimentum*. Quibus verbis simul affirmat & negat, nos spiritualiter corpus Christi percipere. Idem enim est ac si ita diceret: percipimus Corpus, quia percipimus gratiam: quum ita dicendum sit, Percipimus gratiam Christi, quia percipimus Corpus Christi. Nam Christus non dicit: Qui mãducat vitam æternam, habet carnem meam: sed, qui manducat carnem meam, habet vitam

æternam, inquit. Quare, detracta larua, cogitur liberè fateri hanc esse suam sententiam: Ipsum Christi corpus non manducari spiritualiter. Hunc autem errorem Sadeel refutauit in Tractatu de Spirituali manducatione: quem monachus leuiter attigit & quasi aliud agens: quædam decerpit & mutilat, vt videri possit Tractatum illum refutasse. Sed firmissima Sadeelis argumenta & disputationem tum [illegible] tum [illegible] ne salutauit quidem. Pontificij autem non sibi constat in spirituali manducatione explicanda. Sic enim Concilium Tridentinum, *Si quis dixerit Christum in Eucharistia exhibitum spiritualiter tantum manducari & no etiam sacramentaliter, Anathema sit.* Sess. 13. Hinc ergo Pontificij videntur dicere, Corpus Christi etiam comedi spiritualiter, quemadmodum ibidem dicunt his verbis: *Vt panem illum supersubstantialem suscipere possint, & is verè eis sit animæ vita & perpetua sanitas mentis, cuius vigore confortati ex huius miseriæ peregrinationis itinere in cœlestem patriam peruenire valeant, eundem panem Angelorum, quem modò sub sacris velaminibus edunt, absque vllo velamine manducaturi.* Hæc illi. Videntur igitur intelligere spiritualem manducationem, non de gratia, sed de ipso Christo pane supersubstantiali, & pane Angelorum quem illi velatum esse volunt solis accidentibus, & idcirco distinguunt Christum à suo effecto, quod est, animam

mam nutrire. Monachus verò non sic loquitur, sed ait, nos spiritualiter Christi participes fieri quatenus eius gratiam percipimus. Christus autem non dicit: Qui manducat meam gratiam, sed qui manducat meam carnem. Ista autem restrictio est ineptissima. *Quatenus*, inquit, *ab eodem non absente sed præsente substantialiter in Eucharistia, animus gratiam & spirituale alimentum percipit.* Cur enim animus fidelis non poterit particeps fieri Christi gratiæ etiamsi Christus sit corporaliter in cælo existens? Item: quare necesse est vt corpus Christi delitescat sub accidentibus panis, vt animus fide instructus illud percipiat? Nonne potest fides in cęlum peruenire, quum natura sua eò feratur? perinde est acsi ita diceret: Percipimus spiritualiter gratiam Christi in animis nostris, & alimentum spirituale, quatenus Christus est in Eucharistia. Atqui ita potiùs dicendum est: Percipimus animo alimentum spirituale quatenus Christus est in animis nostris. Est autem in animis nostris per fidē vt ait Paulus Ephes. 3. Error παρὰ τὴν ἔκθεσιν propter ἐπαναδίπλωσιν malè assignatam.

VI.

Monachus non disputando sed calumniando, ait nos dicere, *Christum realiter absentem à Sacramento verè nihilominus in Sacramento percipi.* Et diu multúmque sudat vt refellat suum commētum nō & nostram sententiam. Itaque Pag. 6. & 7.

proponit hunc syllogismum hypotheticum. *Aut percipitur Christus secundùm ipsius duntaxat effectum aut etiam secundùm se & suam substantiam. Sed neutro modo ex Sacramentariorum sententia. Ergo nullo*, inquit. Verum enimverò, nostra sentētia ita dilucidè à nostris Doctoribus exposita est, vt nihil aliud de hoc Monacho dici possit, nisi mentiri voluisse: quod quia monachorum est proprium, minùs in hoc monacho mirum videri debet. Contraria iis quæ nobis obiicit, copiosè à Sadeele declarantur in Tract. de Spir. manduc. In resp. ad obiectionem 7. Sit igitur hic error calumnia & monachale mendacium.

VII.

Ibid. In eodem Syllogismo: Opinatur Monachus, *Christum non posse esse verè præsentem in Cœna Domi si Corpus Christi sit essentialiter sub accidentibus panis & eius Sanguis sub accidentibus vini.* Nos verò dicimus, illum esse præsentem animis nostris per fidem. In me manete & ego in vobis, inquit Christus, Error Monachi τὸ ὁμωνυμίαν duplicem, tum vocabuli, Sacramenti, & Eucharistiæ, tum vocabuli præsentiæ. Accipit enim, Sacramentum & Eucharistiam, pro solis signis. Et nos per Sacramentum Cœnæ Domini, intelligimus sacram ipsam actionem, quam nō restringimus ad externos ritus, sed simul piorum fidem comprehendimus efficaciter in illis operante Spiritu S. Et in hoc

sensu

ſenſu veteres Græci, qui primi vocabulum Euchariſtiæ ad hoc myſterium ſignificãdum tranſtulerunt, ſolent vocabulum illud intelligere, ſed Monachi Euchariſtiam & ſuam gratiarum actionem includunt Pyxide: & res & Vocabula peruertentes.

VIII.

In eodem Syllogiſmo errat Monachus ita ſtruens Syllogiſmum Hypotheticum, *Chriſtus percipitur aut ſecundùm ipſius effectum, aut ſecundùm ſe & ſuam ſubſtantiam.* Error eſt In diſiunctione. Quia à piis & credentibus Chriſtus ipſe percipitur, & ſimul effecta eius & beneficia percipiuntur: quod Sadeel pluribus verbis probauit in Tractat. de Spirit. manduc. id quod Monachus diſſimulat. Chriſtus enim vtrumque coniungit, Qui manducat meam carnem, inquit, habet vitam æternam. Monachus autem ita, ſcilicet, egregiè diſſerit: Aut manducat carnem Chriſti, aut habet vitam æternam. Oportet igitur diſiunctiuam mutare in copulatam. Ibid.

IX.

In eodem Syllogiſmo, Hæc vocabula *ſecundùm ſe* & ſuam ſubſtantiam vſurpantur à Monacho imperitè & ἀθεολόγως. Primùm: *Secundùm ſe* Perſonam ipſam ſignificat. Si quis autem diceret Perſonam Chriſti, vel, Chriſtũ ipſum, adeóque totum Chriſtum non eſſe vbique, Perſonam diuelleret & pro vna Perſona duas Ibid.

conſtitueret: atque ita eſſet relegandus ad veteres Hæreticos à piis maioribus noſtris iure condemnatos. Quare, diſtributio & diſiunctio quæ in hoc Syllogiſmo ἀπαρδιτύπῳ continetur, eſt vitioſa. Præterea, Subſtantiam Chriſti reſtringere ad humanam naturam blaſphemum eſt. Nam veteres hæretici obtrudentes ψιλὸν ἄνθρωπον, tanquam blaſphemi reiecti fuerunt, quorum partes Monachus hic ſuſcipit, impio & blaſphemo hoc loquendi genere. Sic igitur debuit dicere: Chriſtus ſecundùm humanam naturam aut eſt præſens ſub accidentibus panis (quod ſomnium eſt Pontificiorum) aut præſens eſt in cælo tantùm, in quod aſcendit, & ex quo venturus eſt viſibiliter viuos & mortuos iudicaturus (quod teſtimonium eſt Angelorum Act. 1.) Eodem errore dicit, *Chriſtum realiter abſentem*, hoc eſt, corporaliter: quaſi Res Chriſti, ſit ſolum eius Corpus. Dolendum eſt Theologiam tractari ab eiuſmodi Scriptoribus, quorum difficile eſt dicere maior ne ſit inſcitia an malitia.

x.

Ibid. In eodem Syllogiſmo, *Maior propoſitio*, inquit Monachus, *certißima eſt.* & poſtea *Minor probanda eſt.* id quod magis ac magis oſtendit eius inſcitiam, qui ignoret quid ſit Syllogiſmus hypotheticus: In quo neque maior eſt neque minor propoſitio. Nam Maior propoſitio denominatur à maiori Termino, & Minor à minori:

nori: qui quidem connectuntur Medio, atque his tribus constat Syllogismus δεικτικός. At in Syllogismo Hypothetico considerātur τὸ ἐξ ἀρχῆς, & τὸ μεταλαμβανόμενον. Hoc Monachi peccatum in Schola nostra flagris castigaretur.

XI.

In eodem Syllog. Adeò ineptè monachus hunc Syllogismum Hypotheticum proposuit vt τὸ ἐξ ἀρχῆς contineat repugnantiam: nempe *realiter abesse à Sacramēto, & verè percipi in Sacramento.* Itaque debuit proponi ἀπαγωγικὸς εἰς ἀδύνατον: hoc modo. Si Christus verè abest à Sacramento, & verè percipitur in Sacramento: Ergo idem Christus est simul pręsens & absens. ἀδύνατον. Tunc nos cōnexum refelleremus, & sentētiam nostrā exponeremus, & Monachum calumniæ & mendacij argueremus: vt ex superioribus patuit. Itaq; Monachus iste est malus Syllogismorum architectus. Ibid.

XII.

Quum Monachus simiam ageret, vellétque imitari methodum Sadeelis: ait *se velle suam* ἀπόδειξιν *ex omni parte esse conspicuam*, & tamen non videmus vllum Syllogismum Demonstrationis quem etiam nusquam proposuit, sed tantùm ἀναγκευαστικῶς disputauit. Solent autem qui accuratè differunt, tria imprimis sibi proponere, ἀπόδειξιν, ἔλεγχον & λύσιν: quem ordinem solet Sadeel obseruare in suis Tractationibus Theologicis & Scholasticis. Primam Pag. 10.

illam ἀποδεῖξιν Monachus prætermiſit, eſque ſatis fuit vocabulum illud ſemel vſurpare. Sed non ita fiunt conſpicuæ ἀποδείξεις. Quare ſatis teſtatur Monachus ſe Demonſtrationem poſſe nominare ſed non facere, de quo admonere voluimus, ne cui fucum faciat Monachalis oſtentatio.

XIII.

Pag. 11. 12. 13. Ait Monachus. *Non poſſumus certò colligere ex narratione Inſtitutionis huius myſterij, Chriſtum dediſſe diſcipulis aliquid in illa Cœna quod ab iis percipiendum eſſet ſolis animis & non etiam ore corporis. Accipite, inquit, & manducate, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur.* Tum excutit vocabula, *Hoc, quod vobis ore corporis percipiendum do, eſt, non figura Corporis mei ſed Corpus meum. Et ipſimet Sadeeli in ſuo muſæo fortè dormitãti vi maxima erupiſſe videtur quod ait, Corporis ſimilitudinem non fuiſſe pro nobis traditam.* Hæc monachus, ſuo more calumnians & peruertens verba Sadeelis: qui differens de Spirituali manducatione, affirmat nos cum vero Chriſti Corpore & ſanguine adeóque cum ipſo Chriſto per fidem arctiſſimè coniungi: & refellit Pontificios qui tradunt Corpus Chriſti eſſe ſignum Corporis. Rurſus peccat Monachus ſuo more τὸ ἐν ἀρχῇ ζητοῦμενος. Nam in expoſitione verborũ Chriſti tota poſita eſt controuerſia. Obiicit etiam noſtris Doctoribus, *aſtutiam*, inquit, *in pallianda ſua ſententia*: quod ipſemet

ipſemet perpetrat. Aſtutè enim prætermittit hæc Euangeliſtæ verba, quæ ad Sacrum hoc inſtitutum pertinent. Accepit panem, fregit, dedítque diſcipulis dicens &c. Ex quo apparet, Chriſtum demonſtraſſe panem & dediſſe diſcipulis ore corporis manducandum tanquam ſignum & ſigillum ſui Corporis quod pro nobis tradidit, ac propterea vocauit panem, ſuum Corpus. Id quod tum alij plerique, tum Sadeel probauit argumẽtis firmiſſimis, quæ noſter hic Valentinus libenter & facilè præteruolauit. Eadem aſtutia vtitur, quum loco verbi *manducare*, quo Chriſtus vſus eſt, dicit *percipere*. Veretur enim ne quis fortè ex ipſo quærat quid ſignificet *manducare*. Nam ſi ſimpliciter ſignificat ore percipere: Ergo manducare, idem eſt ac Bibere: quia id quod bibimus, ore percipimus. O, non iam aſtutiam ſed ſtultitiam Monachalem? Sin autem verba Chriſti intelligenda ſunt de vero & naturali ipſius Corpore corporaliter manducando, ſiue, oraliter, vt malunt dicere, ad palliandam (vt loquuntur) impiam ſuam ſententiã: ſequitur, verum Chriſti Corpus dentibus conteri & comminui ac in ventriculum demitti. hoc enim ſignificat verbum *manducare*. Quapropter quum dicunt, *Id quod Chriſtus dedit, non eſſe percipiendum ſolis animis: ſed etiam ore corporis* verum eſſe poteſt, modò rectè intelligatur. nimirum, Sacra ſigna eſſe percipienda ore corporis. Ipſum autem Chriſti Corpus

ore animi, hoc est, fide percipiendum. Monachus verò vult eandem rem sumi & oraliter & spiritualiter. Nec videt in suis verbis esse contradictionem. Centies enim dixit, ipsum Christi Corpus nō percipi animo, sed gratiam Christi & eius effectum. Nunc verò vult verum Corpus Christi percipi, *non solis animis, sed etiam ore corporis*: quod loquendi genus innuit, ipsum verum Corpus imprimis animo percipi. Et paulò pòst. *Vt non solùm ore corporis, sed etiam ore animi. hoc est, summa fide & reuerentia tantum hospitem suscipiamus.* Quòd si hæc intelligit de gratia Christi: quærimus, quomodo possit Christi gratia quæ est spiritualis, etiam percipi ore corporis. Ampliùs. Si cogitur constituere duplicem perceptionem & manducationem, quomodo non sentit se ab ipsa necessitate eò detrudi vt vnam manducationem tribuat signo, hoc est, pani: alteram manducationem signato, hoc est Corporis Christi? Nonne ipsimet dicunt, signum māducari & atteri dentibus? quibus igitur verbis præcepit Christus manducationem signi, si verbum Manducandi de orali manducatione, & particula, Hoc, de vero corpore Christi intelligatur? Idem Monachus quasi seipsum reuocans: *Quibus verbis*, inquit, *tradita est hæc Caluinistica Theologia, Christum dedisse signa nuda, vt certos faceret se tunc etiam ipsorum animis præbere res significatas? Qui dat signum, non eo ipso dat rem significatam.*

Pag. 13.

tam. Hęc ille: nec meminit huius ſententię Chryſoſtomi Homil. 83. In Matth. (quā ille tam ſæpe obiectat) nēpe Dominū antea Apoſtolos hac de re erudiuiſſe. Ioh. 6. cap. vbi teſtatur ſe velle nobis ſuam carnem & ſuum ſanguinem dare: & ſubiicit: Verba quæ loquor vobis ſpiritus ſunt & vita ſunt. Creditne Gregorius à Valentia his verbis Chriſti an ſecus? An minùs credit Chriſto apud Iohannem concionanti, quàm apud Matthæum Sacram Cœnam inſtituenti? Creditne, quod veteres omnes credunt, Chriſtum apud Iohannem de Re Sacramenti diſſeruiſſe? Quòd ad nos attinet, credimus Chriſtū velle vt ſuum Corpus ſpiritualiter manducemus: ex ipſius Chriſti verbis apud Iohannem: hoc eſt, vt cum ipſo arctiſſimè & ſpiritualiter coniungamur, vt inde vitam hauriamus. Quòd autem Chriſtus panem vocat ſuum Corpus, hoc ideo facit vt nobis magis ac magis confirmet, fore, vt hoc ſigno & ſigillo tanquam arrhabone dato & accepto rem ipſam ſignificatam accipiamus. Sic traditione arrhabonis, rei dominium & poſſeſſio traditur etiam in rebus terrenis: de quo non cogitauit Monachus, non dormitans in ſuo Muſæo (eſt enim ἄμυδος) ſed ſuo Breuiario indormiens.

XIIII.

Ait Monachus, *Inauditum hactenus & incognitum eſſe toti Orthodoxæ Antiquitati, Chriſtū aliter quàm ſecundùm gratiam vnirī cum animis* Pag. 17.

niſi cùm ſuſcipitur vt contentus realiter in ſacris illis ſignis. Lector videat refutationem huius erroris apud Sadeelem in Tract. de Spir. manduc. & ipſam Antiquitatem audiat ſuis verbis loquentem, & Monachi mendaciũ redarguentem. Cap. 6. Hæc autem exceptio de Chriſto contento in ſacris ſignis, verè eſt Monachalis & digna Gregorio à Valentia. Idem enim eſt, ac ſi diceret Chriſtum vniri cũ animis noſtris, quatenus vnitur cum nudis accidentibus panis. Ex quo efficitur, ſi valet hæc limitatio, aut accidentia panis eſſe animum noſtrum: aut, eſſe in animis noſtris: vtrunque ridiculum & Valentino digniſſimum. Eò enim redit hoc Monachale delirium: Chriſtum eſſe in animis noſtris, quia Chriſtus eſt extra animos noſtros. O præclaram ſapientiam Valentinianam! Quid porrò dicet de manducatione indignorum? Num Chriſtus vnitur cum animis ipſorum? & tamen (vt volunt Pontificij) Chriſtus ſuſcipitur ab illis vt contentus realiter in ſacris illis ſignis. Iam ſi vnitur Chriſtus cum eorum animis, quomodo igitur Iudicium ſibi manducant & bibunt? vt ait Paulus.

XV.

Pag. 18. & ſeq. Monachus citat nonnullos Veteres quorũ ſententiam peruertit, & craſſè eorum verba intelligit: vt quum ex Gregorio Nyſſeno vult

Pag. 21. colligere *Chriſti Corpus contemperari & miſceri noſtris viſceribus*: horrendum & Valẽtino Monacho

nacho digniſſimum. Videat lector interpretationem ſententiæ Veterum apud Sadeelem: de Sacram. Manduc. cap. 5. & ſemper meminerit Veteres in locis obiectis, corporalem manducationem ſigni tribuere ſignato, & ex corporali vnione ſignorum cum corporibus noſtris, colligere ſpiritualem coniunctionem Chriſti cum animis noſtris, ex qua vis manat ad ipſa corpora virtute Chriſti ſanctificata, & ſuo tempore reſurrectura in vitam æternam.

XVI.

Monachus imponit Irenæo & Iuſtino, quòd dixerint, *corpora noſtra nutriri vero Corpore Ieſu Chriſti*: quum illi loquantur de ſacris ſignis: quæ cùm caro noſtra fide accedente percipiat, Inde colligunt pij illi Veteres, nos ſpiritualiter coniungi cum Chriſto, & ipſam carnem noſtram Deo conſecratam tandem ſuo tempore potituram vita æterna. Ecquid enim abſurdiùs poteſt vel dici, vel cogitari, quàm corpora noſtra nutriri Chriſti Corpore? Monachus ſæpius alibi dixit corpora noſtra non nutriri ipſo Chriſti Corpore: quia non eſt alimentum Corporis. Hic autem ſibi ipſi repugnat & deterior eſt ipſis Capernaitis. Quum autem conatur hanc ſuam impudentiam tegere, in aliam incidit: mirificè exponens verbum nutriri: hoc eſt, inquit, *caro noſtra re vera Corpus Chriſti percipit vt eius beneficio conſequatur ſuo tempore immortalitatẽ & eatenus quaſi nutriatur.* Itaque ex Interpre- Pag. 18. & 19.

tatione Monachi, nutrire, est quasi nutrire: &, per consequens, oralis, erit, quasi oralis manducatio: & Transsubstantiatio, quasi Transsubstãtiatio: quæ est Monachorũ πληροφορία. Quinetiã prætermittit ea quæ sequũtur in cõtextu Irenęi, nẽpe locũ Apostoli ad Ephes. cap. 5. quoniã sumus mẽbra corporis eius de carne eius & de ossibus eius. Et hæc verba Iustini: Ex cibo sãguis, carnésque nostræ per mutationẽ alũtur: Monachus intelligit de Transsubstantiatione panis in corpus Christi. Iustinus verò loquitur de mutatione cibi in alimẽtũ vt ex eo caro nostra nutriatur: & ideo mentionem facit sanguinis. Sensus igitur verborum Iustini planus est. Accepimus, inquit, cibũ per preces verbi Dei ab ipso Eucharistiam factũ, esse carnem & sanguinem Iesu Christi. Hæc ille, Intelligens per cibum sacra signa, quæ habent nomen carnis & sanguinis Christi. Alioquin hic esset sensus: Accepimus Corpus & sanguinem Christi, esse carnem & Sanguinem Christi. Ita Gregorius à Valentia solet peritè ἰρμηνεύειν. Dolet autem Monacho quòd Transsubstantiatio & oralis manducatio euertitur his Iustini verbis. idcirco quærit operimentum suæ turpitudinis.

XVII.

Pag. 16. & seq. Ait Monachus: *Varium & commentitium id esse, quod de mysteriis Christianæ Religionis ita asseritur, vt per nullam communem notitiam vocabulorum aliquo saltem modo mente concipi & expli-*

explicari poßit: & tale eſſe dogma de Corpore & ſanguine Chriſti, verè ſecundùm ſe percipiendo ab animo piè communicantis. Iam fallaciã Monachi in hoc loquendi genere *ſecundum ſe* deteximus quod illi idem eſt ac, corporaliter, ac ſi diceremus verum Chriſti Corpus eſſe corporaliter in animis noſtris. At nos dicimus, eſſe ſpiritualiter in animis noſtris, freti auctoritate Pauli quum affirmat Chriſtum habitare per fidem in cordibus noſtris. Hæc fuſè explicãtur à Sadeele in Tract. de ſpirituali manducatione. Itaque Monachus, more inſanorum, luctatur cum ſua vmbra. Nam hoc ipſum aliquando affirmat & rurſus aliquando negat vt ex ſuperioribus vidimus: quum diceret, *corpus Chriſti non tantùm oraliter ſed etiam ore animi ſuſcipi* Accommodet igitur ſuum Theorema in ſeipſum, non in nos quibus quum vult conuitiũ dicere, ſeipſum conuincit.

XVIII.

In eodem Argumento: fallitur Monachus qui nobis obiicit *quòd ſententia noſtra ſit inexplicabilis* quum eam Doctores noſtri exponãt & exprimãt Scripturæ & ipſius Chriſti verbis. Et in hũc finem Sadeel citauit Scripturæ locos circiter ſexaginta in Tract. de mãduc. ſpir. cap. 2. Sed confodiendus eſt Monachus ſuo gladio. Quibus enim communibus vocabulorum notionibus explicari hæc vnquam poſſint? Panis ſubſtantiam conuerti in ſubſtantiam Corporis Ibid.

Christi: atque ita Transsubstantiari, vt exterior forma panis maneat, exterior autē forma Corporis non appareat: Corpus Christi contineri in cœlo & simul contineri in sexcentis millibus hostiis: (vt loquūtur) contineri simul in loco, & esse simul in locis innumerabilibus: esse visibile, & non posse videri, esse præditum suis dimensionibus, nec tamen esse circūscriptum. Esse totū in tota hostia & in singulis eius partibus: Accidentia panis & vini subsistere sine subiecto: posse sine materia frangi: posse nutrire: Corpus esse in sanguine & vicissim sanguinem in corpore concomitanter: & cætera eiusmodi pleraque plusquam Chimerica, quorum communis notio nullo vnquam modo vel à Monachis explicari vel à reliquis Pontificiis mente concipi potuit.

XIX.

Ait Monachus: *similitudines vitis & palmitis, stirpis & plantæ, ædificij & fundamenti, mēbrorum & capitis, sponsi & sponsæ, Domus Templi & Inhabitationis (quas Sadeel in suo musæo speculatur) non explicare nostram de Spirituali Christi nobiscum coniunctione sententiam: quia inter pleraque res commemoratas, coniunctio est secundùm effectum & influxum virtutis, aut est substantialis, aut per contiguitatem, aut præsentiam localem. Sed Caluinistæ* (inquit) *dicunt esse quandam aliam coniunctionem arcanam substantiæ Christi secundùm se & animi communicantis.*

Hæc

Hæc ille. Sed, an ipsi tam subitò excidit quod modò dicebat de communibus vocabulorum notionibus ex quibus aliquo saltem modo res explicari & mente concipi possit? Nos nō Caluinistæ sed Christiani vnum Christum audientes credimus, coniunctionem Christi nobiscum, adumbrari quidem quibusdam similitudinibus, & nihilominus esse arcanam, mysticā, incomprehensibilem & ineffabilem, & exclamamus cum Paulo Mysterium hoc magnum esse, Ephes. 5. Dic nobis, imperitissime Monache, si similitudines non sunt res ipsæ, an propterea non adumbrant & explicant suo modo, res illas quibus adhibentur? Quid porrò intelligis tuo illo influxu virtutis? Vitis tribuitne vigorem & alimentū palmiti alia ratione quàm per coniunctionem quæ est vitis cum palmite? Quanuis igitur Christi nobiscum coniunctio longissimè superet humanas terrenásque omnes coniunctiones (In me manet & ego in eo, inquit Christus) nihilominus tamen fructū similitudinis percipimus ex eo quòd quēadmodum necesse est, palmitem vniri cum vite, vt ex ea alimentum suum hauriat, quo careret si non maneret in vite: quia arescceret (inquit Christus, Ioan. 15.) Sic etiam oportet nos esse cōiunctos cum ipso Christo, vt eius beneficiis fruamur.

XX.

Quum dicimus Christi coniunctionem no- Pag. 28.

biſcum, eſſe myſterium: Monachus hoc ita ſibi videtur eludere. *Idem dicunt Vbiquiſtæ, & nihilominus commentum Vbiquiſtarum repudiatis.* Quænam eſt hæc ratio confutandi? Dicimus eſſe myſterium cum Paulo qui hoc vocabulo vſus eſt. myſterium hoc magnum eſt, inquit, loquor autem de Chriſto & de Eccleſia. Aliud igitur eſt verum myſterium, aliud commentitium. Quo fit vt commentitium myſterium Tranſſubſtantiationis repudiemus, quia dicitur quidem myſterium, ſed non eſt.

XXI.

Pag. 32. Sic ratiocinatur Monachus, *Vna res non vnitur álteri niſi per id, & ſecundùm id quo alteri connectitur. Quare ſi per fidem coniunguntur animi noſtri cum Chriſto: ergo coniunguntur ſecundùm effectum tantùm & non ſecundùm ſe, aut fingendus eſſet alius coniunctionis nexus.* Atque ita Monachus non intelligit quæ ſint effecta Chriſti. Nam obedientia Chriſti, impletio legis, vnicum eius ſacrificium, &c. ſunt effecta Chriſti. Deinde remiſſio peccatorum, & vita æterna, & alia eius beneficia nobis conceſſa, ſunt etiam effecta Chriſti. Rurſus, fides eſt effectum Chriſti in animis noſtris operante Spiritu ſancto, vt per fidem remiſſionem peccatorum & vitam æternam percipiamus. Hæc igitur non ſunt confundenda, nempe: Quæ Chriſtus fecit pro nobis, & Quæ Chriſtus facit in nobis, vt vim eorum quæ fecit pro nobis ſentiamus.

nus. Dicimus nos coniungi Spiritualiter cum ipso Christo vt vitam quæ in Christo est per fidem recipiamus: Iidémque dicimus, Christum virtute sui Spiritus efficere fidem in nobis per quam possimus vitam quæ in Christo est recipere. Christus enim non tantùm profert lucem, sed simul dat oculos quibus lucem illam videamus. Ergo Monachus ludit ὁμωνύμῳ vocabuli: *Effectum.*

XXII.

In eodem argumento: grauiter peccat quum ita disserit de fide & effectis Christi ac si sola effecta Christi essent obiectum fidei nostræ, & non etiam ipse Christus. Sic enim connectit. *Si fide vnimur cum Christo: Ergo secundùm eius effecta tantùm cum Christo coniungimur.* Fides enim nostra apprehendit Christum θεάνθρωπον pro nobis mortuum & excitatum à mortuis: & effecta Christi, absque ipso Christo, intelligi non possunt. Ibid.

XXIII.

In eodem argumento: Existimat Monachus, vt coniungamur cum Christo ipso, *oportere, vt sit aliùs nexus præter effectus spirituales*, inquit. quare fatetur se nullam aliam coniunctionem, veram & realem cum Christo agnoscere quàm coniunctionem corporalem, quæ iam nullum locum habet, Christo in cælum recepto. Non amplius nouimus Christum secũdùm carnem, inquit Paulus 2. Corinth. 5. Et Christus Iohan: Ibid.

6. Verba quæ loquor vobis ſpiritus ſunt & vita ſunt. Præterea quomodo poſſet nexu corporali Chriſtus coniungi cum animis noſtris? nonne hoc eſt rerum naturas euertere? Quare retorqueamus iſtud Theorema in monachum. Si res vnitur alteri ſecundùm id quo alteri connectitur (vt vult) & nos fide cum Chriſto coniungimur (id quod non audet negare.) Ergo Spiritualiter cum Chriſto coniungimur, quia fides eſt ſpiritualis.

XXIIII.

Pag. 35. *Ego iſtos ita redarguo*, inquit Monachus, *Solam cauſam efficientem aſſignant quum dicunt eam coniunctionem fieri efficacitate Spiritus S. Sed quæro quid ſit illud quo proximè & formaliter Chriſtus & animus communicantis ita nectatur, &c.* Peccat Monachus μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος. Nam hanc rem ita tractat quaſi verſaretur in rebus naturalibus in quibus imprimis quæritur materia & forma. Imò ipſi Phyſici multùm laborant in inueniendis & aſſignandis propriis formis quæ contineant τὸ τί ἦν εἶναι: & identidem coguntur definire à poſteriori. Quid igitur dicendum erit de rebus ſpiritualibus, Diuinis & myſticis? Quòd ſi Monachus pergat concludere, non eſſe id credendum, cuius cauſa formalis accurata non proferatur: Nihil igitur credit de myſteriis Religionis Chriſtianæ. Repugnat enim, eſſe myſterium, &, poſſe cauſam formalem ſiue formam cognoſci. Si myſterium

ſterium eſt, Ergo eſt abſconditum. Si profertur cauſa formalis, Ergo eſt accuratè cognitum. Paulus autem ait, nos in hac vita cernere per ſpeculum & per ænygma, & cognoſcere ex parte. 1. Corinth. 13. & donum Dei eſt inenarrabile. 2. Corinth. 9 Hic verò Monachus imperitè loquitur de cauſis, quod perſpicuum eſt ex ipſius ratiocinatione: nec ea intelligit, quæ de cauſis à Philoſophis traduntur. Nempe, Conſiderandum eſſe in qua ſcientia verſeris, vt cognoſcas, quænam ſint cauſæ aſſignandæ. Phyſicus imprimis conſiderat Materiam & Formam: Politicus, ſpectat cauſam finalem & efficientem cum τοῖς συναφτίοις. Mathematicus materiam negligit & parum eſt ſolicitus de finali cauſa. Quid autem de Theologis dicendum eſt? num adhæreſcent materiæ & formæ, vt Phyſici ſolent? minimè ſanè, ſed imprimis cum finali cauſa coniungent cauſam efficientem, & τὰ συναφτία. Rectè enim tradunt Philoſophi: Circa Actionem, nos tunc maximè ſcire quum cauſam efficientem ſciuerimus. ὅταν εἰδῶμεν τὸν ἀρχὴν τῆς κινήσεως, inquit primus Philoſophus lib. 3. Refer hæc ad Theologiam quæ proponit Chriſtum Θεάνθρωπον, & quæ Chriſtus fecit pro nobis & quæ efficit in nobis vt ſalutem æternam adipiſcamur: & videbis in rebus Theologicis cauſam finalem & efficientem nobis eſſe imprimis propoſitam, cum τοῖς συναφτίοις. Sed quia monachus (vt conijcere licet ex eius

scriptis; non habet ista in suo musæo, suademus, vt ea sibi comparet ex aliorum musæis. Et discat hoc Theorema Theologicum à Sadeele propositum. Diuinorum mysteriorum quæ in Scriptura continentur explicationem, ab ipsa scriptura propositam, pro ipsorum causa formali habendam esse. Exempli gratia: Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet & ego in eo, inquit Christus, (& quæ eò referuntur, annotata à Sadeele in Tract. de Spir. manduc. cap. 2.) continent eam formam mysticæ & arctissimæ coniunctionis Christi nobiscum, cuius cognitio ad salutem nobis necessaria est. Est autem summopere cauendum, ne in Rebus Diuinis formales causas arbitratu nostro comminiscamur.

XXV.

Ibid. Monachus suo more se ipsum oppugnat, sibique repugnat. Nam suprà contentus erat communi vocabulorum notione, quam negabat à nostris proferri posse: nunc verò necessariò formam postulat, non contentus causa efficiente & virtute Spiritus sancti in nobis operantis. Vt enim perpetuò sibi constat veritas, ita mendacium sibi contradicit. Quare in Monachum quadrat quod ille Sadeeli obiicit in sequenti proximo Errore.

XXVI.

Pag. 34. Ait Monachus: *Vt isti sunt ob imperitiam & ob naturam mendacij inconstantes: Si visus noster temporis*

temporis momento cum solis corpore coniungitur (inquit Sadeel) cur fides non coniunget nos cum ipso Christo, adeóque cum humana eius natura in cælo collocata? Ex quibus videtur intelligere se non nisi secundùm dona gratiæ hanc Christi coniunctionem cum animo communicantis intelligere. Hæc Monachus: qui astutè dissimulauit, similè hoc petitum à Sole, ab Augustino fuisse depromptum, cuius verba recitauit Sadeel. Videat igitur Augustinum Epist. 34. & de Genes. ad Lit. lib. 4. c. 34. Neque loquutus est Sadeel de coniunctione corporali, sed (vt ita loquamur) de visuali coniunctione: hæc enim sunt verba Sadeelis: *Si vis naturalis hoc efficit vt corpus solis tanto locorum interuallo à nobis dissitum, sit tamen nobis præsens visualiter (ita enim dicamus, &c.)* de Spir. mandue. cap. 4. in resp. ad obiect. 7. Quid? Monachus videtne solem absentem? nonne (vt Philosophi docent) sensus afficitur à sensili obiecto? nonne sol videtur secundùm se? Ictus, vel, Iactus oculi potéstne fieri sine illa visuali coniunctione ex qua Sadeel argumentatus est? Expendat Monachus vim Græci vocabuli ἁπτὴ quo Paulus vsus est 1. Cor. 15. ac tum desinet appetere Augustinum per latus Sadeelis. Hic error tum ab imperitia, tum à malitia profectus est, vtraque monachali.

XXVII.

Ait Monachus. *Spiritus S. non est nexus hu-* Pag. 35.

iusce coniunctionis, solùm quâ est Spiritus S. Ergo erit nexus quatenus vnà cum Christo aliquem effectum in animo communicantis operatur, vt putà, fidem, aut aliquid eiusmodi. Atque ita effectus Spiritus S. & Christi διαφορα erit nexus. Ergo non nisi secundùm effectum suum Christus coniungitur cum animo communicantis, & Spiritus S. secundùm se non est proximus & formalis nexus: Hæc ille: nimirum peccans in ratione causæ efficientis: vbi suam inscitiam prodit. Quum enim Sadeelem redargueret, quòd dixerit, hanc coniunctionem fieri efficacitate Spiritus sancti, *Non inquiro*, inquit, *quænam sit causa efficiens illam coniunctionem & eius nexum, quam causam solam assignant: sed quæro quid sit quo formaliter fiat hæc coniunctio, &c.* Nunc autem continuò subiicit, *Spiritū S. secundùm se non esse proximum & formalem nexum.* Atque ita de efficiente causa facit formalem causam. Est autem aliud, Nectens, aliud, Nexus. Et rursus, si Spiritus S. est hic nexus, quatenus aliquē effectum in animo operatur: Ergo ille effectus Spiritus S. erit nexus (hoc est causa formalis, sic enim ille intelligit) Atque ita ludit ὁ μωμος vocabuli *effectus*. Quia vt iam diximus Spiritus S. non solùm facit hanc coniunctionem spiritualem: sed etiam facit Instrumentū, Medium, & τὰ σωφρονα huiusce coniunctionis spiritualis: cuiusmodi est fides. Quare ineptissimè concludit Monachus: Inde sequi, fidem esse nexum & forma-

formalem causam coniunctionis. Exempli causa: Instrumentum ædificantis nec est ipse ædificans, nec forma ædificij: sed eiusmodi συναίτια subiici solent Efficienti causæ. Ipsa igitur coniunctio est id quod fit, & quod non potest esse factum sine sua forma, sibi suæque naturæ conueniente. sed non est Spiritus S. quia fit à Spiritu S. nec est ipsa fides: quia fit per fidem. Quare hortamur istum Monachum vt diligentiùs nauet operam naturis causarum & τῆς συναιτίων ediscendis. Alioqui non immeritò dicemus, Gregorium à Valentia vocari Philosophum sine causa.

XXVIII.

Ibidem vt & sæpe aliâs: abutitur hac particula *Secundùm*. Quum enim vult dicere non Christum ipsum, sed Christi effectum coniungi cum animis nostris. *Coniungitur*, inquit, *Christus Secundùm effectum*. Ita transitum facit à Re, ad modum Rei, quia particula *Secundùm* modum determinat. Si quærat ex nobis, quonam modo Christus cum animis nostris coniungatur: dicemus, modo spirituali: sed hoc semper manet, Christum ipsum coniungi cum animis nostris. Aut certè diceretur contradictoriè, Christum ipsum coniungi & Christum ipsum non coniungi. De quo Lectores volumus admonitos, vt faciliùs detegant vel imperitiam Monachi, vel fallaciam, qui in illa particula insidias posuerit, vt possit alios secum in errorem Ibid.

inducere.

XXIX.

Pag. 37. Mirificum Syllogiſmum protulit Monachus eúmque δίδυμον. (Nam quàm parùm ſit felix in Hypotheticis Syllogiſmis ſtruēdis, antè vidimus) & ſigillatim conatur probare, Maiorem & Minorem, vt ita videatur accuratiùs συλλογίζεσθαι. Sed Maior propoſitio continet Minorem Terminum, non Maiorem: & viciſſim Minor propoſitio continet Maiorem Terminum. Itaque nec figura nec Modus huius Syllogiſmi à nobis intelligi potuit: & forſitan eſt vnũ ex arcanis Tranſſubſtãtiationis. Forma Syllogiſmi eſt eiuſmodi. *Omnes verè communicantes eo modo coniunguntur cum Chriſto quo fideles veteris Teſtamenti vniti ſunt (ex ſententia Caluiniſtarum.) Sed fideles veteris Teſtamenti non fuerunt vniti cum Chriſto niſi ſecundùm ſpiritualem effectum: Ergo, &c.* Nouum eſt certè artificium huius Syllogiſmi & nouis Monachis (qui ſe Ieſuitas appellitant) digniſſimum. Et tamen iſte Valentinus non dubitauit hoc ſuo ſcripto ad ſe euocare Sadeelem, vt ex ipſo diſcat Caietanum & Thomam interpretari. Certè niſi maiores progreſſus fecerit tum in Theologia, tum in Philoſophia, vix credimus futurum, vt Sadeel ad nouum iſtum Ludimagiſtrum ſe conferat.

XXX.

Ibid. In eodem Syllogiſmo. Errat Monachus quum

quum existimat *veteres fideles sub veteri Testamento non fuisse fide coniunctos cum ipso Christo, sed tantùm secundùm effectū.* Videat lector refutationē huius erroris apud Sadeelem de spirituali manducatione. cap. 4. Resp. ad obiect. x. & de Sacrament. manduc. cap. 4. Resp. ad obiect. 2. & Expendat hos Scripturæ locos. Nolim vos ignorare, fratres, patres nostros omnes eandem escam spiritualem edisse, & eundem potum spiritualem bibisse. bibebant enim ex sequenti spirituali Petra. Petra verò erat Christus. 1. Corinth. 10. Abraham vidit diem meum & gauisus est. Iohan. 8. In libro vitæ Agni mactati ab origine mundi. Apoc. 13. Iesus Christus heri & hodie idem est & in secula. Heb. 13. Per fidem Moses maiores arbitratus est diuitias probrum Christi, quàm Ægyptiorum Thesauros. Heb. 11. Adde quod pij maiores nostri tradiderunt, Christum fuisse caput Ecclesiæ etiam sub veteri Testamento. Denique videat lector suauem illam & lepidam allusionem ab Augustino propositam: Iacob emittentis manum antequam nasceretur: quæ quidem manus coniuncta erat cum capite ipsius Iacob nondum in lucem edito, De Catechizand. Rudib. cap. 3. & cap. 19. & consimilia, ex quibus facilè iudicabit hunc Monachum, nec bonū esse Philosophum & pessimum esse Theologum.

XXXI.

In eodem Syllogismo: Imprimis errat Mo- Ibid.

nachus, quòd vim naturámque fidei non intelligat, cùm putet eam intercludi ſpatio temporis. Sic enim Apoſtolus: Fides eſt ἐλπιζομένων ὑπόστασις Heb. 11. Cuius erroris vide refutationem apud Sadeelem Tract. de ſpir. manduc. Reſp. ad obiect. 4. Valdè autem dubitanter loquitur Monachus quum ait *ſecundùm ſpiritualem fidei aut gratiæ effectum.*

XXXII.

Ibidem. In eodem Syllogiſmo. Monachus errat quũ ait, *Chriſtum non fuiſſe vnitum cum patribus Veteris Teſtamenti re ipſa ſecundùm ſe. ſed ſolùm ſecundùm gratiam cuius Chriſtus tunc fuit cauſa Moralis, quã nunc Chriſtus per humanitatẽ ſuam tanquam per inſtrumentum diuinitatis, efficit in modum cauſæ Phyſicæ.* Hæc ille: cauſam autem Moralem exponit, ob cuius reſpectum aliquid fiat. Id quod dicitur nimis ieiunè & exiliter de veteribus fidelibus ſub veteri Teſtamẽto, quorum fides rem futuram ipſis præſentem reddebat: idque ex natura fidei: qua hodie etiam fideles ſub nouo Teſtamento participes fiunt Chriſti & eius beneficiorum. Et ſic modus cauſæ Phyſicæ eſt extra propoſitum: Atque adeò in hac re, oportet diſtinctionem adhibere, non vt inter moralem cauſam, &, Phyſicam: ſed vt inter Chriſtum ſecundùm carnem exhibendũ, &, eundem Chriſtum ſecundùm carnem ſuo tempore exhibitum. Et Monachus in hoc ipſo argumento cogitur id agnoſcere, quum ita loquitur.

quitur. *Fideles olim cum Christo venturo uniti fuerunt secundùm spiritualem fidei & gratiæ effectum quem merito Passionis Christi futuræ perceperunt.* Hæc Monachus. Si autem veteres cõiuncti fuerunt cum effectis Passionis Christi futuræ (vt iste vult) cur non etiam cõiuncti fuerunt cum ipso Christo passuro? Nam passio futura Christi, & Christus passurus, eodem recidunt: quatenus passio Christi sine ipso Christo intelligi non potest. Iam autem admonuimus impropriè dici, *fideles coniũgi cum effectis Christi;* Nam Scriptura sic loquitur, vt dicat, fideles coniungi cum Christo, & frui eius meritis ac beneficiis.

XXXIII.

In eodem Syllogismo: Ait *Christum nõ fuisse actu, sed solùm in potentia temporibus veteris Testamenti.* Quod nõ dicitur Theologicè. Quũ enim oppositio actus & potentiæ latissimè pateat, habenda est ratio eius argumenti quod tractatur. Sic enim Philosophus: πᾶσα δ' ἀναμις ἅμα τῆς ἀντιφάσεως ἐστι. Et ὃ δυνατὸν πᾶν ἐνδέχεται μὴ ἐνεργεῖν. In prim. Philos. lib. 9. At enim Christus promissus in lege & Prophetis erat omnino nasciturus. Quare qui dicit Christum temporibus veteris Testamenti fuisse tantùm potentiâ, ille perperam loquitur & ἀθεολόγως. Rectè enim Philosophi distingunt Inter τέλλον & τὸ ἐσόμενον. Præterea Christus non est homo tantũ: sed Deus æternus: ὁ λόγος ὑφ' ἁμῶν. Pag. 18

qui factus est caro inquit Iohannes, cap. 1. Quare quum Prophetæ loquuti sunt de aduentu Christi, & de iis rebus quas in humana natura præstare & implere debebat ad salutem nobis comparandam, vsi sunt verbis præteriti temporis, quasi loquerentur de re iam facta. Vulneratus est propter iniquitates nostras, & liuore eius sanati sumus Esa. 53. quod idē & iisdem verbis, post Christum in carne exhibitum, dixit Petrus. 1. Petr. 2. Et (vt Monachus suum errorem melius percipiat) Abraham Iustificatus est fide, (inquit Paulus Rom. 4.) qui est pater credentium: & nos per eundem Iustificamur per quem ille Iustificatus est, nempe per Christum qui factus est nobis Iustitia & Redēptio (inquit Paulus. 1. Cor. 1.) & verè Iustificatus est Abraham, nimirum, per meritum passionis & resurrectionis futuræ Christi. Et tamen humana Christi natura nondum actu extabat. Ergo Abraham sensit verè actus secundos humanæ naturæ Christi ante illius actū primum: si spectes ordinem temporum. Inunc cum tua potētia, & agnosce, hoc esse mysterium fidei, non potentiam naturæ: Ratio est: quia Veteres Iustificati & seruati sunt, & nos etiā iustificamur & seruamur in Christo qui non est homo tantùm sed θεάνθρωπος, verus Deus & verus homo.

XXXIIII.

Pag. 39.] Syllogismus ἐλεγκτικὸς itidem mirificus. Sic enim

enim Valentinus. *Quicunque verè & dignè mãducauerit Christi Corpus, percipit gratiã ex promissione Dei (Iohan. 6.) Quicunque dignè percipit Eucharistiam, eo ipso comedit verè & dignè ore etiam corporis, modo diuino & mirabili, Corpus Christi: Ergo quicunque dignè percipit Eucharistiam, percipit ex certa Christi promissione in illo vsu Eucharistiæ externo gratiam.* Hæc Monachus. In Minori propositione est putida principij petitio, his verbis. *ore etiam corporis*, Alius error non minùs crassus: quia Medius terminus non est idem in Minori propositione qui fuit in Maiori: sed longè latior. Quod qui faciunt, ne nomen quidem Syllogismi norunt. Quare iste Gregorius de Valentia est valde inualidus in conficiendis Syllogismis. & nobis videtur ad suum Breuiarium in posterum relegandus, ne suis illis fordibus præclarã differendi scientiam contaminare videatur. Quantùm attinet ad promissionẽ Christi Ioan. 6. Ille ipse Christus distertis verbis explicauit modũ illius mãducationis de qua loquebatur. Verba, inquit, quæ loquor vobis Spiritus sunt, & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. &c. Spiritus est qui viuificat &c: Ergo Christus loquutus est, non de orali, sed de spirituali manducatione sui Corporis. Et quia ibi nulla mentio fit panis terreni, quærendum est alibi argumentũ pro illa promissione quam Monachus accommodat ad oralem manducationem veri

Corporis Christi sub solis accidentibus panis. Sic igitur corrigatur iste Syllogismus φαινόμενος μὲν, sed μὴ ὤν. Quisquis per fidem Spirituali manducatione manducat Corpus Christi, is percipit effectum huius promissionis Christi Qui manducat me, viuet propter me &c. Quisquis verè & ex Instituto Christi, Cœnæ Dominicæ communicat, ille per fidem Spirituali manducatione, mãducat Corpus Christi. Quare: Quisquis verè & ex Instituto Christi Cœnæ Dominicæ communicat, is percipit effectũ huius promissionis Christi: Qui manducat me viuet propter me &c: Quæ quidem omnia agnoscimus esse vera ac proinde à Monachalibus mendaciis alieniſſima.

XXXV.

Pag. 40. Ait Monachus: *In verbis Christi S. Canam instituentis nullam contineri promissionem de cõferenda gratia.* Quid igitur hæc sibi volũt? Corpus quod pro vobis datur, quod pro vobis frãgitur. Sanguis noui Testamenti qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum, & qui pro vobis effunditur? &c: Porrò, Estne Testamentum siue fœdus sine promissione gratiæ? Deinde, si is qui indignè comedit hunc panẽ Iudicium sibi manducat (inquit Paulus 1. Cor. 11.) nonne qui dignè, hoc est, cum vera fide & pœnitentia ad mensam Domini accedit, sibi salutem manducat? Eritne comminatio mortis, & non erit promissio vitæ? *Verùm*, inquit,

Ibid.

Mo-

Monachus *Hæc verba, Quod pro vobis tradetur. & , sanguis qui pro vobis effunditur, referuntur ad oblationem Corporis & Sanguinis Christi factam Deo Patri, non ad oblationem qua hæc eadē data sunt Apostolis in Cœna.* Ridicula exceptio. Quia promissio non est in verbo Traduntur simpliciter: sed in hoc complexo, Corpus traditur pro vobis: Sanguis effunditur pro vobis in remissionem peccatorum. Promittit igitur Christus, adeóque testatur, oblationē sui Corporis quæ Deo Patri facta est, cessuram Discipulis & omnibus verè credentibus, in vitam æternam. Qui pro nobis tradidit eum quomodo non etiam cum eo omnia nobis gratificabitur? inquit Paulus Rom. 8. Agnoscat igitur Monachus in ipso Christo pro nobis tradito, omnes salutis promissiones, omnia Dei dona ac beneficia contineri. Denique videat id quod extat apud Iohannem. 6. (in quo vno loco tātùm dicit promissionem contineri) & expendat hæc verba. Panis quem ego dabo, caro mea est, quā ego dabo pro mundi vita: & illa conferat cum his verbis: Corpus quod pro vobis traditur: Sanguis qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.

XXXVI.

Calumniatur Monachus Sadeelem: quasi dixerit *Corpus Christi vt fuit exangue accipi a nobis in Cœna Domini.* Dixit Sadeel, hoc sequi ex somnio Pontificiorum, tum de Transsubstan- Pag. 41. 42. 43.

tiatione tũ de concomitantia, vtrunque somnium refellens. Quid autem ipse sentiat, explicat his verbis. Non enim, inquit, vel caro Christi ab eius sanguine, vel caro & sanguis ab anima, vel tota natura Humana à Deitate Christi, nec vis viuifica quæ est in Christo ab ipso Christo, nec efficacia ab efficaciter agente, diuelli debet nec etiã potest. Hæc Sadeel Tract. de Spir. Manduc. cap. 4. Resp. ad obiect. 1. Porrò nostri Doctores satis clarè exponunt, cur Christus duo signa instituerit, & cur seorsum fecerit mentionem Corporis & Sanguinis: vt ita nobis proponeret mortem & passionem suam: quam hoc sanctissimum Sacramentum celebrantes debemus annuntiare. (inquit Paulus. 1. Cor. 11.) Error huic Monacho familiarissimus: videlicet, Calumnia.

XXXVII.

Pag. 46. & 47. Monachus sibi videtur egregiè refutare nostram sententiam: hoc modo. *Si Christus non est verè in pane & vino: Ergo Christus in pane & vino non verè percipitur*. Hæc omnia concedimus, & nihil propterea decedit nostræ sententiæ. Dicimus quidem fideles Cœnam D. piè celebrantes, quum sacra signa percipiunt corporaliter, rem significatam simul percipere nempe spiritualiter. Monachus autẽ existimat, nos vocabulo *simul* intelligere coniunctionem quandam localem & crassam signati cum signo: & nescit distinguere inter ὁμοῦ & ἅμα. Nec enim

enim neceſſe eſt quæ ſimul ſunt Tempore, ea ſimul eſſe Loco. Error in dictione *ſimul* malè intellecta.

XXXVIII.

Sic ait Monachus. *Excogitauit Sadeel pulchrã Metaphyſicã ex qua poßit intelligi, illã etiam eſſe veram præſentiam quæ præſentia non eſt. Rectè, inquit, tradunt Philoſophi Ens & Verum inter ſe conuerti*, &c. *Quid igitur prohibet quominus ita concludatur: Omne mendacium eſt aliquod Ens: Omne autem Ens eſt Verum: Ergo Omne mẽdacium eſt Verum.* Hæc Monachus: qui ſimul exponit, *Verum & Ens conuerti, quatenus, Verum, ſignificat communißimam & tranſcendentem veritatem quæ cum Ente conuertitur*: Sic nobis ſuam inſcitiam magis ac magis declarans. Audiat igitur pulchram illam Mẽtaphyſicam (vt loquitur) quam ne de facie vnquam nouit. Sic enim Ariſtoteles ἕκαστον ὡς ἔχει τὸ εἶναι, οὕτω καὶ ἀληθὲς. In prima Philoſ. lib. 1. Item: nihil eſt niſi quatenus eſt Verum. Ens ſignificat Verum & non Ens falſum, &c. lib. 4. 5. &c. Et quum dicit Monachus mendacium eſſe Ens: contradicit Ariſtoteli dicenti τὸ ψεῦδος eſſe τὸ μὴ ὄν: & τὸ ἀληθὲς, eſſe ὄν. Ibid. lib. 6. Et permulta eiuſmodi. Conſtat enim mendacium eſſe, quum id non eſt quod eſſe dicitur. Rectè igitur affirmauit Sadeel Ens, &, Verum inter ſe conuerti. Id quod non tantùm à Philoſophis: ſed à Doctiſſimis quibuſque Theologis communi conſen-

Pag. 46. & 47.

ſu receptum eſt. Et ad hãc rem Sadeel Orthodoxæ Antiquitatis Senatum citauit, & imprimis Auguſtinum & Hieronymum, in Tract. de Spirit. manduc. c. 4. reſp. ad Obiect. 7. Quid ad illa omnia Monachus Valentinus? Nihil planè: Vox faucibus hæſit. Stultiſſimum autem eſt quod ille comminiſcitur de Tranſcendente Veritate. Quanuis enim plerique Scholaſtici hoc vtantur vocabulo: tamen etiam ex illorum ſententia id non dicitur Tranſcendens, quod aliquid certum deſignat. quo ſenſu Philoſophi dicunt & Theologi agnoſcunt, Ens & Verum cõuerti. Affirmauit autẽ Sadeel ex auctoritate Scripturæ, Corpus Chriſti & ipſum Chriſtum θεάνθρωπον eſſe Spiritualiter præſentem fidei, licet humana Chriſti natura ſit in cœlo preſens corporaliter: Et quum Aduerſarij, cuiuſmodi ſunt Monachi, obiicerẽt, ſi Spiritualiter, Ergo non Verè, tunc protulit hanc γνώμην de Ente & Vero. Ergo quæ nos dicimus de Spirituali præſentia & de Spirituali coniunctione cum Chriſto per fidẽ, ſunt Vera, quia nituntur Scripturæ Veritate. Quòd ad ſyllogiſmum attinet quem pro mendacio propoſuit Monachus: rideant Lectores tantam inſcitiam: quum ſtruatur ſyllogiſmus in quarta & noua quadam figura: quam fortè iſti noui Monachi recèns cõſtruxerunt tanquam præclarum nouæ ſuæ Societatis monimentum.

XXXIX.

XXXIX.

Monachus redarguit quæ à noſtris Doctoribus dicta ſunt de χετικῇ coniunctione ſigni & rei ſignificatæ. *Præſentia Relatiua & χετικὴ, non eſt vera præſentia Chriſti in ipſius ſignis.* Hæc ille: quaſi verò nos conſtituamus Chriſti præſentiam in pane aut in vino, aut ſub vtriuſque Accidentibus, quemadmodum Monachi ſomniant. Dicimus enim, Chriſtum eſſe præſentem animis noſtris per fidem. Sed ea quæ noſtri dicunt de χετικῇ coniunctione, eò ſpectant, vt intelligamus, ſigna illa nõ eſſe inania, quia ſunt inſtituta à Chriſto vt fides illis adminiculis adiuta, nos cum Chriſto θεανθρώπῳ coniungat: vt ſæpe dictum eſt. Omnibus autem Philoſophiam tractãtibus (ſi hunc Monachum excipias) ſatis notum eſt Relata eſſe ſimul λόγῳ. Sacra autem ſigna à Chriſto inſtituta, eſſe Relata, nemo adhuc dubitauit. Sed ſuam ſententiam quum noſtri Doctores fusè explicarint, nullus hîc ſupereſt calumniandi locus. Quòd ſi Relatio non haberet ſuam veritatem: nullę igitur falſæ relationes aſſignari poſſent. Quod ſecus eſt. Nam (vt multa alia prætermittamus) quum Pontificij dicunt, accidentia ſine ſubiecto, eſſe ſigna Corporis & Sanguinis Chriſti: Et rurſus, Corpus eſſe ſignum Corporis, egregiè à noſtris refelluntur: obtrudẽtes falſas Relationes pro veris. Pag. 47.

XL.

Pag. 49. & seq. *Nisi sit Oralis manducatio & Transsubstantiatio: nullum igitur erit mysterium quod sit quidem proprium Eucharistiæ, & maxima admiratione dignum. Quid enim erit hic mirum & difficile ad credendum? Nam Christum esse in cælo, & Christi signum esse in terra, hoc non superat captum nostrum. Nam ego vidi imaginem Caluini in terra eo tempore quo simul credidi fuisse ipsum Caluinum in inferno.* Hæc Monachus: non solùm imperitus & stultus, sed etiã furiosus. Audaciſſime, impudentiſſime, & mendaciſſime Monache, ecquonam iure ſententiam tuliſti de tanto viro? quid tuæ improbitati cum illius pietate commune eſſe poteſt? Deus ipſe Iudex eſt qui de tuis iſtis maledictis déque illo tuo furore iudicabit. Sed mirum non eſt ſi Monachi falſa credant de Caluino, cùm eorum animos, in rebus propemodum omnibus, à veritate alieniſſimos eſſe videamus. Cæterùm in hoc ſuo connexo errat in ratione Sacramentorum. Putat enim neceſſe eſſe S. Cœnam habere myſterium aliquod ſibi proprium & non commune cum Baptiſmo. Vide eius refutationem apud Sadeelem in Tract. de Sacram. manduc. cap. 3. Reſp. ad obiect. 3. Vnumquodque Sacramentum habet ſuum ſignum peculiare & proprium, & propriam analogiam ſignorum: ſed ſubſtantia eſt vna & eadem. Nam omnia Sacramenta ſpectant ad Chriſtum. Baptiſmus regeneratio-

neratione nostram in Christo nobis declarat: Sancta verò Cœna alimentum nostrum in eodem Christo ostendit. Vtrumque Sacramentum habet signum exterius & analogiam signi peculiarẽ. Quare Monachus iste fallitur quòd putet, aliquid difficilius esse ad credendum in sancta Cœna quàm in Baptismo. Illa omnia sunt deliria Monachorum. Non minùs offendebatur Nicodemus Concione Christi de Baptismo, Iohan. 3. quàm Capernaitæ Concione Christi de ipsius Corpore manducando. Iohan. 6. Præterea, est grauissimus error, constituere mysterium S. Cœnæ in Transsubstantiatione: cùm potiùs constituendum sit in spirituali & arctissima coniunctione Christi nobiscũ: quod Paulus vocat magnum mysterium. Ephes. 5. Ergo mysterium non est in signis significantibus: sed in eo quod per illa signa significatur. Verùm (vt apparet) fides Monachi adeò occupata fuit in Inferno, vt de cœlesti mysterio spiritualis & viuificæ coniunctionis cum Christo, cogitare non potuerit.

XLI.

Monachus conatus est respondere ad obiectiones Sadeelis. Et quoniam in eius responsionibus tot sunt errores, quot verba, & in summa nihil aliud continent, quàm inanem ipsorum errorum repetitionem, non sigillatim eas excutiemus: alioqui esset nobis totus Monachi liber describendus. Quare petimus à Lectori- Pag. 55. & toto lib. 2.

bus vt Sadeelis argumentis cum huius Monachi responsionibus conferãt, vt vanitas Monachalium responsionum magis eluceſcat. Tamen percurremus nonnullos errores Monachi malè respondentis, vt facilius possint Lectores de reliquis iudicare.

Pag. 56. Ait Monachus, *hominis materiam non esse terram nec cinerem*: & ita repugnat manifestis scripturæ locis: Formauit Deus hominem de limo siue de puluere terræ. Gen. 2. Sicut è luto formasti me. Iob. 10. &c. Addit Monachus, *hominem vocari terram propriè, quia in illum terra conuersa est qualicunque demum conuersione.* At Scriptura reddit aliam rationem, qua debemus esse contenti: neque discurrere per qualescunque illas conuersiones à Monacho ridiculè propositas. Loci Scripturæ neglecti à Monacho hi sunt. Donec reuertaris in terram, ex ea enim sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuertêris. Gen. 3. Reuertatur puluis in terram suam vnde erat. Eccl. 12. &c. Est autem ingens error & ψευδολογράφημα in Theologia, dicere, terram fuisse conuersam in hominem: quia Anima est forma hominis in quam terra conuerti non potuit. Et Moses narrat separatim formationem corporis Adami, tum subiicit: Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Intoleranda igitur est hæc hæresis Monachi Valẽtini (qui tum fortè de Valentino vetere hæretico suo,

suo, plusquam tritauo cogitabat.) Simúlque grauissimè errauit Albertus Hungerus Procancellarius Ingo stadiensis Errorum Monachi approbator: qui debuit potiùs interrogare Monachum, ecquid sentiret de Animæ Immortalitate.

XLII.

Falsum est, inquit Monachus, *Pontificios nolle panem esse factum Corpus Christi:* Audiat igitur quid dicat Scotus. Panis, inquit, nec fuit Corpus, nec est, nec erit, &c. Panis nec fit, nec factus est, nec fiet Corpus Christi, &c. Hæc potest concedi. De pane vel ex pane fit Corpus Christi. Item panis transiit in Corpus Christi. Sed hæc non est vera: Panis mutatur in Corpus, &c. In 4. Sentent. Distin. 11. quæst. 5. Sed isti noui Monachi qui se solos putant Pontificios Doctores, alios Monachos præ se fastidiunt. Nos quidem & veteres & nouos Monachos reiicimus: sed tamen quòd attinet ad eruditionem & acumen ingenij, certè vnum Scotum pluris facimus quàm omnes istos nouos Monachos. Sæpe noster hic Valentinus in aliis suis responsionibus idem facit, nec veretur negare id dictum esse à Doctoribus Pontificiis, quod à veteribus illis Scholasticis dictum est. Quem errorem & fastum huius Monachi satis nobis fuit semel hic indicasse. Pag. 57.

XLIII.

Quæ dicit Monachus *De Quãtitate supplente* Pag. 57.

diuinitus materiam panis (ex Thoma) *De accidentibus nudis quæ vult esse signa in hoc Sacramento: De signorum analogia constituenda in natura panis qui esse desiit:* & consimiles errores videat Lector refutatos à Sadeele in Tractat. de Sacrament. Manducat. cap. 3. Nam ea quæ pro responsionibus affert Monachus non sunt responsiones, sed tantùm inutiles ipsorum errorum Repetitiones. Nisi fortè à nobis expectent Lectores vt refutemus quod dicit, *Accidentia esse sacramenta & signa Corporis & Sanguinis Christi, quia repræsentãt panem & vinum quæ fuerũt & non amplius sunt,* Imperite Monache, nonne animaduertis quòd eo modo essent signa & Sacramenta panis & vini, & non Corporis & Sãguinis? Nam signum dicitur Ad aliquid. Quare, si repræsentant panem, sunt igitur signũ panis. Tergiuersare quantùm voles, non poteris effugere quin huc redeat tua doctrina vel potiùs tua insciția: Nempe Accidentia quæ supersunt, esse signa panis & vini quæ esse desierunt: panem autem & vinum quæ iam non sunt, esse signa Corporis & sanguinis. Cæterùm, Monachus obiicit, *non esse necessariũ, vt Aqua Baptismi abluat corpora.* verum id quidem est Aquam Baptismi non adhiberi ad corpora abluenda: nihilominus tamen habet facultatem abluendi, & reipsa abluit quũ corporibus adhibetur. Quinetiam oblitus est eius quod antea, pag. sui libri 3. ex Tertulliano obiicere

iicere voluerat. *Caro abluitur vt anima emaculetur* atque ita seipsum imprudens ipso Tertulliano iudice refutauit.

XLIIII.

Ait Monachus, *vitium Petitionis Principij in probando tantùm esse, non autem in respondendo & defendendo* ac propterea reprehēdit Sadeelem qui refutauit Pontificios afferentes hanc rationem dissimilitudinis inter Baptismum & S. Cœnam: quòd in Baptismo, non dicitur, hoc est Sanguis meus: quemadmodum in S. Cœna dicitur hoc est Corpus meum & hoc est sanguis meus. Id quod Sadeel dixit esse Petitionē principij & meritò. Sed Monachus non intellexit, ei qui ita respondet vt non simpliciter concedat aut neget, sed simul afferat ἔνστασιν, siue rationem suæ responsionis, incumbere onus probandi. Itaque Aristot. facit mētionem Syllogismi ἐνστατικοῦ in 2. prior. Analyt. Quum igitur Monachi pro ἐνστάσει aut pro ratione suæ responsionis repetunt τὸ ἐξ ἀρχῆς: nempe id de quo disputatur, illi proculdubio Principium petunt. Sed hoc licet nō sit mysterium tamen, vt ipsius Monachi verbis vtamur, eius captum superat. Quod si relicto illo Monachali luto, se conferret ad puriores fontes Aristotelicæ Doctrinæ, meliùs ratiocinaretur: atque intelligeret, quid sit ταυτὸ τοῖς αὐτοῖς & ταυτὸ πρὸς αὐτό. Pag. 59

XLV.

Ait Monachus, *Petram (de qua sic Paulus,* Pag. 60.

Petra autem erat Christus, non fuisse aliquod Sacramentum. Et ita pugnat cum Orthodoxa Antiquitate. Sic enim Augustinus in Ioann. Tract. 45. Illi pro magno Sacramẽto eiusdem Christi biberunt aquam profluentem de Petra. Idem Tract. 26. Sacramenta illa fuerunt, in signis diuersa sunt, In re quæ significatur, paria sunt. Apostolum audi: Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt & omnes eundem potum spiritualem biberunt. Aliud illi, aliud nos: sed specie visibili quidem, tamẽ hoc idem significãte veritate spirituali. Quomodo enim eundem potum? Bibebant, inquit, de Spirituali sequente petra, Petra autem erat Christus. Hęc Augustinus. Chrysostomus autem locum Apostolicum enarrans in 1. Cor. hom. 23. Quemadmodum Corpus Dominicum manducas, ita illi Manna manducauerunt: & sicut tu Sanguinem bibis, ita & illi aquam de Petra biberunt: quanuis sensu perciperentur ea quæ dabantur, spiritualiter tamen dabantur, non secundùm naturæ consequentiam, sed secundùm muneris gratiam, & cum corpore etiam, animam in fidem adducentem, nutriuit. Denique Tertullianus cõtra Marcion. lib. 5. Si Petra illa Christus fuit, vtique Creatoris, cuius & populus. Cui rei figuram extranei Sacramenti interpretatur? & multa alia consimilia.

XLVI.

Pag. 60. Ait Monachus: *in his verbis Hoc est Corpus meum*

meum, Demonſtratiuum, hoc, nō demoſtrare propriè Chriſtum, nec panem, nec Indiuiduū vagum, ſed ſubſtantiam illam Indiuiduam determinatam, Contentam ſub ſenſibilibus accidentibus panis, idque ſecundùm rationem ſubſtantiæ communem & Indiuiduam vagè per ordinem ad illa accidentia: quæ ſubſtantia, ſecundùm eam rationem, in principio illius Enuntiationis eſt panis, & in fine, Corpus Chriſti. Hæc Monachus. Dum autem ille eſt ſuperſtes, petimus ab eo, vt ſiquidem poſſit, nobis ſua illa implicata, intorta, inuoluta ἀνλιφαλικὰ verba explicet: quia non putamus ea poſſe ab alio quopiam explicari. Nobis igitur exponat quomodo ſubſtantia Indiuidua, poſſit eſſe vaga ſimul & determinata: & poſſit eſſe ſimul Communis & Indiuidua: & quomodo aliquid poſſit eſſe vagè determinatum. Rurſus: quomodo fieri poſſit vt, *Hoc*, in principio enuntiationis demonſtret panem, non vt panem: & in fine demōſtret Corpus. Nam hæc eſt lex enuntiationis vt eius partes ſeorſum aliquid certum ſignificent. Etenim vera Enuntiatio affirmata, non facit aliquid eſſe, ſed affirmat id eſſe quod eſt. Quare nugatur Monachus quum ait, Enuntiationem Chriſti, eſſe tantùm veram in fine Enuntiationis. Imò ſi illi credas, Subiectum & Prædicatum ſunt eſſentialiter idem, nec tamen propoſitio eſt identica (vt agnoſcit) nec ſunt idem in principio enuntiationis. Hæc igitur redolent monſtra Valenti-

niana de quibus copioſè Irenæus & Tertullianus: & quum Monachus hæc ſcriberet, vagabatur extra ordinem per Chimæricas ſuas cogitationes.

XLVII.

Pag. 61. 62. Ait Monachus *Accidentia ſine Subiecto nutrire. Hac ratione. Quia experientiâ notum eſt illorum accidentium vſu fieri nutritionem & eorundem corruptione aliquid generari: cuiuſmodi ſunt vermes. Rurſus, fide certiſſimè conſtat accidentibus illis non ſubeſſe ſubſtantiam panis: nempe quia Chriſtus dixit hoc eſt corpus meum.* Imò potiùs experientia conſtat, nihil vnquam nutrire ſine materia, ac proinde oportere materiam adeſſe, ſi nutrimentum adſit. Quòd verò de fide dicit, ſuo more facit, vt lectores ſuprà admonuimus, qui pro reſponſione, ſuam opinionem repetat. Nec vult tamen hanc eſſe petitionem Principij. Ad aliam etiam reſponſionem recurrit ex Thoma: *Quantitatem in materiam diuina virtute conuerti.* Et ſic multę erunt ac variæ Tranſſubſtantiationes aut Conuerſiones ſi Monachis credamus. Primò: Panis tranſſubſtantiatur in Corpus, & vinum in ſanguinem. Secundò, Iuxta Thomam: (vt alibi Sadeel annotauit) Aqua vino admixta tranſſubſtantiatur in vinum. Tertiò, Quantitas conuertitur in materiam panis. Quartò hæc materia permutatur in vermes, & cætera id genus. Quocirca non eſt quod deinceps dicamus, Monachos pugnare pro

pro Transſubſtantiatione, ſed pro Transſubſtantiationibus. Sed quid? Iſta quantitas eſt-ne quantitas & materia ſimul: Subſtantia ſimul & accidens? Non-ne ridicula hæc commẽta Chriſtianam Religionem ludibrio exponũt? Nonne hoc eſt abuti Omnipotẽtia Dei? (Qua de re vide Sadeelem de Sacram. mand. c. 3. obiect. 6.) Porrò quibus verbis Chriſti, conuertitur quãtitas in materiam? Audiamus religioſam ſcilicet interpretationem verborũ Chriſti ex Monachorum ſententia. *Hoc eſt Corpus meum* (nulla enim alia verba proferunt pro ſuis illis conuerſionibus) id eſt, Quantitas panis conuertitur in materiam panis. O miſeros miſerè faſcinatos & miſerrimè alios faſcinantes, & digniſſimos qui ſolis accidentibus veſcantur.

XLVIII.

Monachus reprehendit Sadeelem, quòd dixerit, In Cœna D. Panis viníque ſaporem & guſtum remanere, ex quo efficitur, ſubeſſe panis & vini ſubſtantiam quandoquidem Sapor ſine ſubſtantia materiata eſſe non poteſt. Hæc inquam verba Sadeelis redarguit Monachus, inquiens: *Nonne ſapor eſt accidens in Prædicamento Qualitatis, quod eſt obiectum guſtus, ſicut color viſus & ſonus auditus?* Hæc ille: vehementer errans quòd non diſcernat inter hæc duo: Sapor eſt Accidens, &, Eſt accidẽtis ſapor. Præterea aliud eſt, quum dicimus, dulce, amarum &c. aliud, quũ dicimus Saporem panis, & Pag. 65

Saporem vini &c. quia fieri nō poteſt vt ſit Sapor & guſtus panis, quin ſit ſimul ſubſtantia & materia panis. quia nō poteſt intelligi nec definiri Sapor alicuius rei ſine ipſius rei materia, vt perſpicuum eſt ex definitione Saporis quam philoſophi proponunt. Sapor eſt paſſio facta ab Humido aqueo in ſicco terreo immutatiua guſtus ex potentia ad actum. Et ad hoc argumentum Sadeelis Monachi nihil vnquam reſponderunt: Nempe: Nihil poſſe actu exiſtere ſine eo quod neceſſariò in eius definitionem venit. Ac ne per omnipotentiam Dei quidem: quia id continet Contradictionem, quā Deus potenter non poteſt. Figura quidē exterior panis hæc, vel illa, vt, rotunda, quadrata &c mutari poteſt pane remanente: idem etiam de colore hoc, vel illo panis, dici poteſt: Sed Sapore panis penitus ſublato, panis non eſt, niſi ὁμωνύμως. Itaque omnia accidentia non ſunt eiuſdem naturæ. Videat Monachus Ariſt. lib. 2. de Anima vbi agit de Sapore, & conſulat ſocium ſuum Toletum (qui eſt lōgè doctior iſto Monacho) & videat quid Toletus ſcripſerit in illum Ariſtotelis tractatū: vt poſtea melius ſcribat de hoc argumento.

XLIX.

Pag. 63. 64. Monachus reprehendit hæc Sadeelis verba, perſpicuū eſt, Accidentia illa quæ Pōtificij ſola ſupereſſe exiſtimāt, nō eſſe quaſdā mathematicas delineationes, ſed eſſe corpora phyſica materiam

teriam & τὰ πάθη corporis naturalis habentia, &c. Inde Monachus ait *concludi posse Accidētia esse substantias.* O mirum acumen hominis! Adeo-ne est stupidus vt non percipiat Sadeelem vocare Accidentia ex vsu loquendi Pontificio, vt demonstret, ab illis falsò nuda accidentia vocari, & sine subiecto: quando, satis constat ex ipsis sensibus, materiam subesse accidentibus panis & vini. Itaque (inquit Sadeel) si quis existimat accidentia materiâ constare, ille profectò accidens in Substātiam commutauit, & sic euanuit Monachi decipula.

I.

Ait Monachus, *Quantitatem verè frangi, quia Corpus aliquod verè frangitur propter pororum determinatam dispositionem: quæ dispositio manet in quantitate.* Sed non aduertit, manere etiam corpus, habens illam pororum dispositionem: ac proinde non sequi quod ille vult solā quantitatem frangi in Eucharistia. Sed ipsum Quantum frangi. Aliter etiamnum errat in quęstione de Quantitate: quum ait, *Substantiam* (voluit dicere Quantitatem) *Actu dimetientem non posse quidem esse sine substantiâ mensurata: sed posse esse dimensiuam & mensuram aptitudine: etiam si Actu substantia per eam non mensuretur: & ita in Eucharistia esse dimensiuam non Actu dimentientem.* Contrà: Si quantitas in Eucharistia (vt vult Monachus) non est Actu dimetiens, Ergo nihil est in Eucharistia Actu mensura- Pag. 64.

tum: ac proinde, nulla est superficies Actu: ex quo sequitur, fieri non posse, vt Corpus Christi contineatur sub Accidentibus panis. Nam hoc loquendi genus, necessariò infert superficiem. Deinde: si ea quæ videntur in Eucharistia non sunt Actu mensurata: Ergo nihil in Euchatistia Actu frangitur. Nam fractio sine dimensionibus non potest intelligi. Præterea: Nisi iste sit planè excæcatus, videt, ista accidentia (vt loquitur) habere suas dimensiones & suam exteriorem figuram, quæ sine Quantitate Actu dimentiente esse non potest. Rursus: sequeretur illa Accidentia (vt loquitur) non esse in loco, si non habeant suas dimensiones Actu: quia locus est vltima superficies Continentis, inquit Arist. Physic. lib. 4. Quò remittimus nouum istum Monachum & simul nouum Philosophũ, vt suam illam aptitudinem ad falsò ratiocinandum si fieri potest corrigat. Et eum hortamur, vt propter familiaritatem, accedat ad Toleti Commentarios in Aristotelem, & ibi videat & attentè expendat hæc ipsius Toleti verba: Locus ambit & circunscribit exterius locatum corpus. Item: Locus & locatum non habent omnes dimensiones æquales, sed sunt æquales secundùm extentionem: ita vt superficies concaua continentis & connexa locati, sint æquales, &c. hæc Toletus suũ socium redarguens. In lib. 4. Phys. cap. 2. & cap. 4. quæst. 2. Atque hæc de sola Quantitatis Dimensiuæ aptitudine à

Mona-

Monacho ineptissimè proposita.

LI.

Ait Monachus *Basilium existimasse lucē primigeniam fuisse Accidens sine Subiecto.* Videat Lector confutationem illius Erroris, & expositionem sententiæ Basilij apud Sadeelem vbi supra, cap. 3. Obiect. 8. vbi nominatim citat hæc verba Scoti, Creata est lux, Gen. 1. Lux est corpus luminosum, neque enim accidens creatum est absque subiecto, inquit Scotus in 2. senten. dist. 13. qui tamen non bene distinxit inter lucem, &, lumen. Pag. 67.

LII.

Monachus *negat substantiam panis annihilari, quia terminus conuersionis non est simpliciter non esse, sed esse substantiale Corporis Christi, non quasi de nouo productum, sed quasi succedens substantiæ panis per habitudinem substantialem intimæ cuiusdam coniunctionis substantiæ suę cum accidentibus*, &c. Hæc sunt Chimærica deliria quę nec explicari nec intelligi possunt: & ita Monachus, quasi effuso Sepiæ atramento, sperat effugere: neque putat se in errore deprehendi posse, si error ipse comprehendi non possit. Sed iam is error est longè grauissimus, ita loqui, vt intelligi nequeas: adeóque nolis intelligi. Omnino hucredeat necesse est: aliquid accidere Corpori Christi: quandoquidem substātia panis non annihilatur. Nec illum excusat habitudo substātialis quam tribuit Corpori Christi, vt succedat substantiæ panis. Nec enim Corpus Pag. 70.

habet illam habitudinem ſubſtantialem: & qui hoc dicit, monſtra loquitur: eſt enim verũ Corpus: & iſta habitudo non eſt de ratione Corporis, imò ei contradicit: vt centies à Sadeele probatum eſt. Alioquin, Aliquid eſſet actu ſine ſua eſſentia.

LIII.

Pag. 72. 73. Ait Monachus *aliquid poſſe conuerti in præexiſtens. Primùm Diuina virtute per habitudinẽ ſubſtantialem* (quam Monachus habet pro Aſylo aſinino) *Deinde, exemplo nutrimenti in formam viuentis conuerſi.* Quæ omnia Sadeel refutauit. Primùm enim docuit, Diuina virtute non eſſe abutendum in iis quæ contradictionem implicant: vt ſi quis dicat aliquid conuerti in præexiſtens. Nam ſequeretur, Eſſe, &, Fieri: Eſſe, &, Non eſſe: Idem, &, Aliud, idem eſſe. ἀντίφασις. Vna ſubſtantia non poteſt fieri altera propter Contradictionem, inquit Toletus ſocius Monachi Valentini. In lib. 1. Phyſic. cap. 3. Quod ait de nutrimento, id omnium Phyſicorum riſu & ſibilo exploditur. Nec enim præexiſtebat ille ſanguis vel illa caro quæ fit per Nutrimenti conuerſionem: licet ſubeat cõmunem formam vel ſanguinis vel carnis, propter aſſimilationem, quæ fit per additionem. Alioqui ſi nutrimentum conuerteretur in ſanguinem præexiſtentem (quod ne in mentem quidem venire poteſt niſi deliranti) certè non augeretur ſanguis, & corpora noſtra non eſſent in perpetuo fluxu, ſicuti ſunt. Eſt igitur hic Mona-

Monachus malus Physicus & malus Medicus: itaque Transsubstantiationem valde laborantem sanare non poterit.

LIIII.

Ait Monachus *Futurũ in resurrectione mortuorum, vt anima rationalis succedat substantialiter in eadem materia formæ cinerum seu cadaueris.* Id quod dicitur, primùm ineptè: quia anima informat corpus. Deinde ἀθεολόγως: quia nihil tale dicit Scriptura, nec vtitur isto loquendi genere. Quinetiam audiat Monachus Lombardum Sententiarum Magistrum longè aliter hac de re loquentem lib. 4. Sentent. dist. 43. Credimus, inquit, in ictu oculi futurã Resurrectionem, & in membra, sine fine victura, tanta velocitate rediturum antiquissimorum cadauerum puluerem. Et citat Ambrosium qui dicit futurum, vt anima corpori reddatur. Ergo, verum corpus erit, quum antea esset cinis: Corpus, inquam, ab anima informatum. Itaq;, non anima (vt iste perperam loquitur) sed corpus animatum, erit loco cinerum, in quos fuerat corpus dissolutum. Pag. 74.

LV.

Quum Sadeel refelleret Concomitantiam qua Pontificij dicunt Sanguinem esse In Corpore, dixit, ineptum esset illud vocabulum, eo quòd pars non dicitur comitari totum, sed esse in toto. Hîc, Valentinus Monachus rem transfert ad Grammaticos: quasi Sadeel redarguerit hoc vocabulum hac tantùm ratione, quòd pa- Pag. 77.

rum latinum sit: atque ita insurgit in Sadeelem. *Quid si tibi vicissim obiiciam*, inquit, *quod tu etiã vocabulo nõ magis latino, dignaris alicubi dicere, Tenet Consequentia.* Hæc Monachus, malus pro fectò Grammaticus. Nam si ea res inter illos ageretur, diceremus, pro Sadeele, Ciceronem ita fuisse locutum, lib. 4. de finib. cuius hæc verba sunt, His propositis tenuit Consequentia, inquit Cicero. Itaque, Monache Valẽtine, quia tu non dignaris cum Cicerone loqui, petimus à te, pro tua illa Breuiarij latinitate, vt, si fortè in hoc Indice errorum tuorũ conficiendo, nobis, nec opinantibus, aliquid exciderit quod tibi Ciceronianum videatur: ne propterea vultum, à legendis, & animum, ab agnoscendis tuis erroribus, velis auertere. In quibus etiam annumeramus, quod dicis ἀθεολόγως, *Diuinam & humanam naturam Christi sese in Eucharistia*
Pag. 79. *quasi comitari.* Et illud, *quasi* tibi valde familiare est: quippe non accuratè disputanti. Percunctare igitur quæ sit ratio Vnionis Hypostaticę.

LVI.

Pag. 82. & seq. Monachus repetit suam suorúmque sententiam *de Sacerdotis intentione debita consecrandi, quam illi volunt esse necessariam ad efficiendam Transubstantiationem:* Cuius erroris vide refutationẽ apud Sadeelem in Tractatu de Sacram. Mand. cap. 3. obiect. 14. 15. 16. 17. 18.

LVII.

Pag. 85. Monachus, vt respondeat ad Obiectiones Sadeelis aduersus realem inexistentiam Corporis

poris & Sanguinis Christi in Eucharistia (vt isti loquuntur) suo more repetit suam suorúmque sententiam aliis verbis: & vim argumentorum Sadeelis non attingit: Id quod lectores etiam à nobis non admoniti, facilè iudicabunt. Quædã tamen percurremus ex quibus alia melius dignoscantur. Obiecit Sadeel: quãdoquidẽ Cœna D. eò spectat vt Corpus Christi spiritualiter & vera fide manducantes, vitam æternam habeamus: non quidem reiiciẽda esse omnia media (vt iste Monachus falsò existimat, aut vult ab aliis existimari) sed eligenda esse ea media quæ sunt certa & cum Christianę religionis capitibus consentanea: Et ea media esse reiicienda quæ infinitis incommodis cõflictantur. Respondet Monachus *Oralem mãducationem veri Corporis Christi nobis testari ipsius Christi erga nos Charitatem*, & citat Chrysostomum quem nõ intelligit (loquitur enim Chrysostomus de spirituali coniunctione quæ nobis intercedit cũ Christo, & cuius simus magis ac magis participes in Cœna D.) nec respõdet ad obiectionem. Semper enim manet, Oralem istam manducationem conflictari tot incõmodis, vt nunquam inde emergant Pontificij. Rursus, quum Monachus vult exponere hæc Chrysostomi verba, *Videri, Tangi, Manducari & Dentes carni fuæ infigi*, ita exponit, *Per accidens*, inquit, *quatenus intimè subest panis accidentibus*. Proinde fateatur oportet, vocabulum *Carnis* accipi pro signo Carnis. Dicuntur ergo dentes infigi car-

ni quia infiguntur ſigno Carnis. Quum igitur Chryſoſtomus coniungat hæc quatuor *videri,*
Pag.86. *Tangi, Manducari & Dentibus teri:* ipſique dicant *Corpus Chriſti non videri*, ſequitur vt qua ratione Chriſti Corpus dicitur videri, Tangi & dentibus atteri: ea ratione dicatur oraliter manducari: hoc eſt, ratione Signi, non ratione
Pag.88. eſſentiæ ipſius Corporis. Ita Monachus citauit Chryſoſtomum à quo refutatur. Sic Auguſtinus (quẽ etiam obiicit) dixit nos recipere mediatorem Dei & hominum fideli corde & ore: nempe, quia corde, ipſum Chriſtum: & ore, ipſius Chriſti ſigna percipimus.

LVIII.

Pag.90. Miro loquendi genere iſte Monachus ita diſtinguit, *Corpus Chriſti eſt in Euchariſtia per accidens, modo Sacramentali: & eſt in cælo per ſe, modo naturali.* Sed modus Sacramentalis requirit vt ſit ratione ſigni: ſicut, modo Sacramentali, videri, tangi & dentibus atteri dicitur. Nec Monachus intelligit quid ſit, modus Sacramentalis, quia ſi modus ille, eſt ἀντιφατικὸς ipſi Corpori (vt euincit Sadeel) certè, falſum eſt, idem Corpus eſſe, naturaliter in Cælo, &, contra naturam, in Euchariſtia. Deinde exoritur alia etiamnum difficultas, cuius Monachus nunquam exitum reperiet: videlicet: An idem corpus quod eſt per accidens in vna Euchariſtia (vt dicunt) poſſit eſſe realiter per accidens in ſexcentis millibus aliis Euchariſtiis. Nam anima dicitur eſſe in loco per accidens, quia eſt

in

in corpore locato, sed non est simul alibi. Quare istud, esse per accidens, nouam habet apud Monachos interpretationem. Similiter, ait, *Pontificios non negare quin Corpus Christi sit in Eucharistia præditum suis dimensionibus.* Pag. 91. Quod si ita est, quomodo ergo Corpus, quod illi volunt contineri in vna Eucharistia, simul erit & continebitur in aliis innumerabilibus Eucharistiis? Nam (vt putamus,) non accipiunt Eucharistiam tanquam aliquod vniuersale: sed intelligunt Eucharistias plures numero: ne in nouam aliam absurditatem incurrant. Et rursus: Si Corpus est præditum suis dimensionibus, quomodo igitur est totum sub qualibet parte vnius Eucharistiæ, adeóque sub quibuslibet partibus innumerabilibus? Non debuit igitur Monachus insimulare mendacij Sadeelem: *vel est ignorantia*, inquit, *vel calumnia, vel mendacium.* Nihil horum est, Monache: sed est vester error crassissimus: qui Corporis Christi dimensiones, nec audetis affirmare, nec negare.

LIX.

Ait Monachus, *Corpus Christi esse definitiuè in omnibus locis finitis: & non esse determinatè in aliquo eorum, & affert exemplum Animæ quæ continetur sub qualibet parte corporis: nec tamen,* inquit, *illa circunscribitur aut definitur.* Quæso Monache, quis vnquam Physicus ita locutus est, Animam contineri sub qualibet parte corporis? Hoc igitur loquendi genus ex tuo Breuiario in Philosophiam recèns trāstulisti. Nam

Animam esse in corpore & in corporis partibus, vulgò dicitur: Sed Animā esse sub corpore & sub corporis partibus, vel etiam, contineri sub qualibet parte, noua est phrasis & peregrina, & fortassis ab Hispanis Iesuitis aduecta ex India Occidentali. Præterea nonne Anima definitur ipso corpore, & ita definitur, vt quandiu corpus viuit, non sit alibi? Ergo ex hoc ipso exemplo: Si Corpus Christi est definitiuè in vna Eucharistia: non poterit simul esse in alia. Denique nonne sentit Monachus, se euertere ipsam Corporis Christi veritatem, quādo confert Corpus Christi cum Anima? Sic autem Christus: Spiritus carnem & ossa non habet. Luc. 24. Sed, quicquid dicat Christus, Monachi non verentur asserere, Corpus Christi esse totum sub qualibet parte Eucharistiæ: atque ita de carne & ossibus faciunt spiritum, & renuntiant veritati ipsius Corporis.

LX.

Pag. 96. Citat Monachus hæc verba Augustini: *quæ est ista virtus* Aquæ, vt Corpus tangat & cor abluat. In Ioan. Tract. 80. Item Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu.* Tum subiicit. *Quanquam, non est quidem Aqua principalis causa internæ ablutionis, vt etiam D. Petrus indicat. 1. Pet. 3. sed solùm instrumentalis. Sed quemadmodum hæc instrumentalis causa vt effectum habeat in anima non perperam Corpori adhibetur. Ita etiam Corpus Christi vt spiritualiter animum alat.* Errat Monachus in ratione

Causæ

Causæ instrumentalis. Nam τὰ συναίτια non sunt vnius generis. Quædam enim attingunt res ipsas quæ fiunt: id quod in Artificum instrumentis, ἐν τοῖς ποιητοῖς, manifestum est. Alia verò secus: vt quum res externæ & corporales adhibentur ad effecta Spiritualia. Sic Aqua Baptismi attingit Corpus & non attingit animum (vt cuiuis perspicuum est.) Est tamen instrumentum ablutionis animę, quatenus adhibetur ad significandum & obsignandum Christi sanguinem, quo Spiritus S. abluit animas nostras. Itaq; Augustinus in loco nobis obiecto: vnde inquit, tanta virtus Aquæ, nisi, faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens: hoc est, verbum fidei quod prædicamus. Hæc Augustinus. Atqui vt valeret argumentum Monachi, & comparatio petita ex Baptismo, oporteret, etiam corpora nostra tingi Christi sanguine: quod nescio, qui tot audet, audeátne dicere. Deinde ineptissimè Corpus Christi constituitur à Monacho tanquam instrumentalis causa ipsiusmet Corporis animas nostras vivificantis. Sed signa ipsa externa constituenda sunt tanquam συναίτια, quod cùm Monachus ignoret, ad eos remittendus est, qui rationem causarum accuratè tractarunt.

Denique, Monachus nititur euertere Responsiones à Sadeele propositas: vt ad illud argumentum quod non solus hic Monachus (quanquam hoc sibi tribuere velle videtur) sed nonnulli alij qui eum antecesserunt, obiecerãt, Pag. 101. & seq. ad finẽ vsque.

vt probarent Corpus Christi posse esse pluribus in locis simul: scilicet *D. Paulum vidisse Christum in terris dum in Cœlis existeret*. Et quia Monachus ea ferè tantùm repetit quæ dixerat, & ei satis est tum hic, tum in sequentibus idẽtidem dicere: Sadeelem petere principiũ: quod itentidem Sadeel Monacho obiicit: Idcirco sufficere nobis visum est, in hoc Indice admonere Lectores, vt vtriusque Scripta diligenter conferant & examinent atque explorent: non eomodo quo fecit hic Examinator, sed exigãt ad verbum Dei: adhibita ratione rectè & peritè differendi. Speramus, nobis etiam tacentibus, eos comperturos multos & crassos errores qui seipsos sine Indice indicabunt: Cuiusmodi est hic error:

Ibid. *Christum esse ordinariè in Cœlo & in Sacramẽto: Extraordinariè verò fuisse aliquãdo in terris.* Nunc quærimus, quonam modo idem Corpus possit esse ordinariè in vno loco in cœlo & in locis innumerabilibus in terris. Quod nisi sit extraordinarium Corpori, non videmus quid vnquam possit Extraordinariũ appellari. Rursus, inculcat suam responsionem de Omnipotentia: non intelligens quid sit supra naturam, &, contra naturam. Et licet excipiat contradictionem (quod tamen ægrè facit) tamen nõ intelligit quid sit Contradictio, & quomodo sit cognoscenda & redarguenda: Nempe ex legibus naturæ. Videtur aliquando verbis id agnoscere: sed reipsa negat. Est igitur Contradictio,

Pag. 111.

quum

quum duo simul affirmantur, quorum vnum tollit naturam alterius: vt quum dicunt idem Corpus esse simul in pluribus locis: item, vnius eiusdémque corporis plures esse Actu reales existentias & præsentias simul, easdémque inter se diuersissimas: & cætera eiusmodi complura.

Ampliùs: Dicit, *Corpus Christi non capi definitiuè ab illis locis in quibus est ratione Sacramẽti, sed definiri ab omnibus omnino locis in quibus est, quum non sit extra omnia illa.* Sic Corpus Christi est definitiuè, ἐν πᾷ καθ' ὅλου, & non ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα: & tamen Monachus dixit, *illud præditum esse suis dimensionibus in singulis Eucharistiis, in quibus etiam singulis cõtinetur.* Ita Monacho *Contineri* &, *Esse extra* idem est. Pag. 106.

Ampliùs: ita recitat verba Sadeelis. *Etsi esse præsens hic vel alibi, ipsam Corporis substantiam non contineat, tamen non recedere hoc, quod est, Corpus esse alicubi, ab ipsa Corporis substantia.* Sic autem Sadeel Scripsit: *Corpus esse præsens alicubi, hoc verò ab ipsa Corporis substantia non recedit.* in Tract. de mãd. Sacram. Cap. 4. Resp. ad argumentum lapideum. Loquitur enim Sadeel de Corpore Actu præsente. Quare imperitè admodum, Monachus obiicit, *communem & genericam rationem prædicamenti Vbi, esse Accidens non autem substantiam, neque negandum esse Accidens indiuidui Corporis.* Non videt Monachus, eum qui dicit Corpus actu & verè præsens, dicere simul substantiam & accidens. Nam quemadmodum præsentia corporis sine corpore, ita Corpus præsens sine præsentia Pag. 110.

actu esse nõ potest. Et rursus, præsentia illa corporis, nõ est sine loco: sed habet suum vbi: non vt est prædicamentum, sed vt est, hic locus. Sed quorsum Monachus tãdiu disputat de Accidẽte præsentiæ, quod vult esse ipso Corpore posterius? Respondeat: Quũ dicit Corpus Christi esse præsens sub Accidentibus panis in hac, vel illa Eucharistia (vt loquitur) nonne intelligit certum & singularẽ locum? intelligítne locum vt est prædicamentum Vbi? Deinde, præsentia illa Corporis sub Accidentibus (vt volunt) estne actu posterior ipso Corpore quod præsens est? cur igitur dicit, panẽ conuerti in instanti in Corpus præditum suis dimensionibus? Vana sunt, vanissima, inquam, ista subterfugia, & latebræ Monachales, in quas, tanquam in sua claustra sese abdunt Monachi, quum sentiunt se vrgeri ab ipsa veritate.

Pag. III. Amplius ait, *Deum posse facere vt Corpus non sit in tempore*. Atqui, si quid ita sit, vt non sit in tempore, id æternum est. Hoc autem est ἀθάλσον, imò & ἀνυφαλικὸν: quia sequeretur aliquid esse factum, quod factum non esset. Nam si factum est, non est igitur æternum.

Ibid. Dicit etiam *posse esse Corpus, licet eius partes Actu per quantitatem non extenderentur, quanquam*, inquit, *non esset tunc Corpus organicum*. Atqui nós disputamus de Humano Christi Corpore, quod si non esset Organicum, non esset humanum Corpus. Quare, dicere Corpus humanum, non Organicum, est dicere, Idem

Corpus

Corpus non idem Corpus.

Ampliùs dicit, *fieri posse diuinitus, vt plures numero albedines individuæ constituantur in vno eodémque corpore simul.* Quod si ita est, potest igitur Deus facere Contradictionem esse verã, contra veritatem, & contra sententiam Theologorum omnium. Variat quidem Monachus loquendi genus: sed omnino res huc redit, vt ταυτὸ & ἕτερον, sit idem, Quare, nobis in memoriam reuocauit id quod dicit Aristoteles physic. lib. 1. c. 2. de illis veteribus, qui, quum summopere timerent ne ipsis eueniret vt res eadē simul essent vnum & plura: loquendi genus transformabant, dicentes, hominem, non, album esse, sed albere: non ambulantem esse, sed ambulare &c. Nos igitur huic nouo Monacho & nouo Philosopho cum veteribus Philosophis erranti, veram Philosophiam & meliorem mentem optamus. Pag. 113.

Ampliùs: obstinatè pergit Monachus in defendenda falsa illa & insana hypothesi, *Si Deus non mundum creasset, sed vnum tantùm lapidem: tunc lapis ille non fuisset in loco*: & sibi visus est facere argumentum aureum ex lapideo, quum postea dixit tanquam se corrigens, *Si Deus non mundum sed aliquot columnas aureas creauisset, &c.* Sed profectò, hoc argumentum aureum non est melius lapideo. Dicat enim Monachus, an istæ columnæ fuissent sine exteriore forma. Nam columnas sine forma exteriore, cogitare non possumus: nec certam corporis formam, sine superficie: nec superficiem corporis, sine

loco. præterea, non possent esse plures quin vna columna ab alia distingueretur propria circunscriptione. Ad hæc: aurum fuisse ante aureas columnas, videtur necesse. Quare Monachum hunc extra mundum vagãtem, & pro sua Transubstantiatione (quam propediem ex hoc mundo discessuram esse præuidet) extra mundum columnas quibus sustentetur, stultè quærentem nos sapienter relinquamus: & audiamus quomodo de eiusmodi falsis hypothesibus Toletus Socius Monachi locutus sit. Deus extra cælum, inquit, posset de nouo creare nouũ corpus & per consequens, nouum locum. in 4. Physic. c. 7. quæst. 1. Quamuis autem censeamus ab eiusmodi hypothesibus alieniſſimis abstinendum esse, tamen animaduertimus, Toletum in sua hypothesi noluisse constituere corpus sine loco. Vt fecit hic Monachus. Certè (vt nobis liceat ad falsas istas hypotheses alludere) dicitur in fabulis, lapides aliquando fuisse in homines conuersos: at noster Valentinus, nouo fabulandi modo, libenter homines conuerteret in Lapides, quod absit.

Pag. 110. Porrò Monachus, non sine blasphemia, dicit *Corpus vnum in ratione vnitatis cum Deo benedicto conuenire, quia Deus vnus est.* Cur non igitur etiam in ratione essentiæ, quoniam Deus est? O impudentiam Valentinianam! Quemadmodum igitur Deus est ὑπερούσιος, nec vlla essentia, quæcunque tandem illa sit, cum essentia Dei comparari potest: ita est ὑπερθεος. Deus dici-

dicitur vnus ſupra id omne quod vnũ dicitur: & nihil ei poteſt conuenire in ratione vnitatis: quia hæc ratio Diuinæ vnitatis, eſt ſupra omnẽ noſtram rationem. Deus dicitur vnus, quia æternus, quia infinitus, quia ſolus, &c. Corpus dicitur vnum, non quia ſolum, ſed quia Indiuiduum, quia quantũ, quia numeratum, ac proinde, Subiectum cui accidit, vnum eſſe. Quapropter iſtam conuenientiam à Monacho blaſphemæ Societatis propoſitã aures piæ reiiciũt.

Denique ait Monachus *ſubſtantiam Indiuiduam Corporis finiri & limitari imprimis per ſubſtantiæ genus & differentiam quibus conſtituitur, & conſequenter per gradum ſuum indidualem:* & accuſat Sadeelem quòd ipſum non intellexerit: quinetiã, vt minùs intelligeretur, id græcè explicare conatus eſt πρὸς τὴν ἄγνοιαν τῆς λέξεως ἡμῶν. Inquit, non ſatis feliciter: quia vocat λέξιν totum hoc Complexum quod Sadeel reprehenderat: nempe *Subſtantiam rerum finitarum non propriè loco ſed genere & differẽtia finiri.* Hoc enim Monachus dixerat, & hoc Sadeel reprehenderat: quia diſputatio eſt de Corporis actu exiſtentis circunſcriptione, quæ fit ex ipſis dimenſionibus corporis: ac proinde ex loco ambiente ſuperficiem corporis. Quorſum igitur iſtud diuerticulum, de Genere & differẽtia? Nam propriè definiuntur τὰ καθ' ὅλου, licet generalis definitio accommodetur Indiuiduis & Singularibus: vt, quum hic Petrus, dicitur Animal rationis particeps (quod neſcio an huic Monacho tam malè ratiocinanti con- Pag. 111.

ueniat secundum gradum eius indiuidualem.) Atque huius definitionis genere & differentia constantis, ea vis est, vt finiat ac limitet hunc Petrum: ita vt Petrus separetur à Bruto animali. Sed non propterea separatur à Paulo & Ioãne, quibus illa ipsa definitio itidem conuenit. Ergo vt propriè limitetur ac finiatur Indiuiduum, ad materiam actu existentem deueniendum est, quæ est principium Indiuiduationis, inquit Thomas, Opusc. de Ente & Essent. Ita fiet, vt Corpus humanum Indiuiduum actu existens, suis, non alienis dimẽsionibus finiatur. Sed hac de re plura diximus quàm Indici huic nostro conueniat, quem breuissimum esse voluimus. Itaque quàm bene scilicet respondeat tum ad obiectiones propositas à Sadeele ex Veteribus deprõptas, tum ad Scholasticorum Pontificiorúmque concertationes de Transsubstãtiationis argumento, iudicent Lectores collatis locis à Sadeele citatis cum Monachi Responsionibus, quẽ videbunt versari in continua & nuda repetitione suæ sententiæ verbis aliquantũ immutatis. Quòd si scribere perrexerit, non dubitamus, quin breuem hunc Errorum suorum indicem reddat locupletiorem.

Veritas vincit.

Ἐσθλὸν μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς δὲ κακόν.

FINIS.

Soli Deo honor & gloria.